QUIBUS FONTIBUS

PLUTARCHUS IN VITA DEMETRII

DESCRIBENDA USUS SIT.

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE ARGENTORATENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

IACOBUS MOERSCHBACHER

RHENANUS.

ARGENTORATI.

APUD CAROLUM I. TRUEBNER.

1876.

QUIBUS FONTIBUS

PLUTARCHUS IN VITA DEMETRII

DESCRIBENDA USUS SIT

SCRIPSIT

IACOBUS MOERSCHBACHER.

QUIBUS FONTIBUS

PLUTARCHUS IN VITA DEMETRII

DESCRIBENDA USUS SIT.

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE ARGENTORATENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

IACOBUS MOERSCHBACHER

RHENANUS.

ARGENTORATI.

APUD CAROLUM I. TRUEBNER.

1876.

Ad res proximis post obitum Alexandri Magni decenniis gestas pernoscendas maximi momenti est vita Demetrii a Plutarcho scripta. Nam quae de his temporibus Diodorus copiose rettulerat, eorum non servata est nisi pars (l. XX enim eius ante pugnam apud Ipsum commissam finem capit, proximi vero omnes fragmentis exceptis perierunt): ea autem, quae apud alios scriptores memorantur, ad iacturam gravissimam, quam reliqua Diodori parte amissa accepimus, compensandam nequaquam sufficiunt. Quare operae pretium mihi videor facere quaesiturus, quos auctores Plutarchus in illa vita enarranda secutus sit.

Atque ut paucis de eis agam, qui ante me de eadem re disputarunt, primum Brueckneri[1]) honorifica mentio facienda est, qui, cum caute et diligenter quaesivisset, quae Plutarchus in c. 5—22 sumpsisset ex Hieronymo, quamquam de tertia tantum parte egit, non paulum me adiuvit. Ante eum iam Mannert[2]) in vita Demetrii scribenda Plutarchum de multis Hieronymum auctorem secutum esse affirmaverat. Deinde breviter de eius vitae fontibus quaestionem instituerat Heeren[3]), quem virum parum accurate inquirere atque obiter rem tangere solitum esse apud harum rerum peritos constat. Tum Droysen[4]) de eadem re paucis egerat, nec tamen ita, ut quidquam maioris momenti inde sumi possit. Atque Haug[5]), cui tot vitarum fontes indagandi erant, ut de singulis id

---

[1]) C. A. F. Brückner, de vita et scriptis Hieronymi Cardiani, in „Ztschr. für Alterthumswissenschaft", 1842, p. 252 sqq.

[2]) Conr. Mannert, Geschichte der unmittelbaren Nachfolger Alexander's, Lips. 1787, Anhang p. 352.

[3]) A. H. L. Heeren, de fontibus et auctoritate vitarum parallelarum Plutarchi commentationes IV, Gott. 1820, comm. II c. 4.

[4]) J. G. Droysen, Geschichte des Hellenismus I, Hamburgii 1836, Beilage 1 p. 682 sq.

[5]) M. Haug, Die Quellen Plutarch's in den Lebensbeschreibungen der Griechen neu untersucht, Tubingae 1854, p. 72 sqq.

satis accurate fieri vix posset, in Demetrii vitae fontes ita inquisivit, ut neque de Hieronymo adhibito novi quidquam attulerit neque pauca illa, quae de aliis Plutarchi fontibus in medium protulit, argumentis ad fidem faciendam aptioribus confirmaverit. Denique agitur diligenter de eadem re in Reussii libro [1]), qui nuperrime editus est, cum hanc commentationem iam ad finem perduxissem et amplissimi philosophorum ordinis arbitrio permisissem. Quem virum doctissimum de permultis idem sentire atque me cum magna mea voluptate intellexi, alia ab illo longe ampliorem campum percurrente praetermissa vidi: quod si quid ex isto libello in meum usum vertere commode contingeret, id diserte in adnotatione indicavi.

Itaque, quid de fontibus ad hanc vitam describendam a Plutarcho adhibitis viri illi docti iudicarint, paucis explicemus.

Cum de rebus post Alexandri mortem gestis Hieronymus, Duris, Demochares, Philochorus, Diyllus, Psaon, Nymphis, Phylarchus, Timaeus ita scripserint, ut a Plutarcho adhiberi possent, hunc cum aliis praeterea scriptoribus usum, tum potissimum Hieronymum Cardianum auctorem secutum esse illi sibi persuaserunt. Hieronymi autem historia ipsa quoniam paucissimis fragmentis exceptis periit, num alicubi, quibuscum hanc vitam comparemus, vestigia eius inveniantur, videndum est. Qualia omnium fere consensu [2]) in copiosa Diodori de illis temporibus relatione, quamvis Hieronymus nusquam tamquam fons nominetur, inesse putantur. Atque hanc sententiam cum hoc quidem loco in medio relinquamus, infra quid de ea statuendum sit, considerabimus.

---

[1]) Fr. Reuss, Hieronymos von Kardia, Studien zur Geschichte der Diadochenzeit, Berol. 1876, p. 132 sqq., cf. p. 16 sqq.

[2]) cf. C. G. Heyne, de fontibus et auctoribus historiarum Diodori, commentatio III, in comm. soc. regiae scient. Gott. tom. VII cl. hist. et philol., p. 113. Mannert p. 352. Heeren l. l. Droysen I, 670. Brückner l. l. C. Müller, frgg. hist. Gr. II, 451 et introd. ad Pseudocallisthenem p. 23. Denique Reuss p. 115 sqq.

Caput I.
Comparantur Plutarchi et Diodori narrationes.

§ 1. Similia, quae ab utroque scriptore maxime eundem auctorem exscriptum esse indicent.

Ipse quaestionem de vitae Demetrii fontibus ita instituam, ut primum Plutarchi et Diodori relationibus comparatis quae similia et in rebus et in verbis insint et utrumque scriptorem plerumque ex communi fonte sua petivisse doceant, indagem. De discrepantiis autem, si quae nobis obviam fuerint, postea locus disputandi erit.

Atque Plutarchi et Diodori narrationibus collatis primum argumentum communis fontis adhibiti hoc est, quod rerum, quae traduntur, et series ordoque fere semper idem est et pars haud spernenda de singulis in utraque relatione narratis consentit. Quod quo iure dictum sit, ut appareat, iam ad Demetrii vitae c. 5—7 accedamus, cum de c. 1—4 quaestio aptius postea (p. 24) instituatur.

Ac primum Diod. XIX, 79 ex. —86 et 90—100 Ptolemaeus dicitur Cyprum vectus et, dum Syriam superiorem Ciliciamque vastat, frustra a Demetrio ex Coelesyria profecto petitus esse; idem deinde incursione in hanc terram facta Antigoni filio apud Gazam (a. 312) cladem intulisse, sed, cum adversarium recentibus copiis firmatum eodem fere tempore, quo Seleucus Babyloniam recuperat, in Syria superiore Cillem, ducem Aegyptium, vicisse et cum patre se coniunxisse audivisset, in Aegyptum se recepisse. Deinde expeditiones Antigoni iussu in Nabataeos susceptae et incursio propter Seleuci opes in dies crescentes in Babyloniam facta describuntur. Quod si Plutarchum (c. 5—7) cum Diodoro comparaveris, et res gestae eodem ordine se excipiunt et duo isti scriptores non solum generatim, sed etiam, quamvis alter brevissime, alter copiosissime tradiderit, de singulis consentiunt. Ut his utar, et apud illum et apud hunc scriptorem dicitur Demetrius admodum iuvenis fuisse (Dem. c. 5 *νέος καὶ ἄπειρος*, Diod. c. 81 *νέος ὢν παντελῶς*), idem tum primum proprio consilio bellum gessisse, Ptole-

maeus dux pugnarum peritus fuisse, idem regium apparatum amicosque captos adversario remisisse, Cilles ad Demetrium ex Syria pellendum missus neglegenter se gessisse, idem de improviso ab illo petitus ipseque captus, Antigonus filii victoria laetus Celaenis in Syriam profectus esse; denique apud utrumque scriptorem in expeditione a Demetrio in Nabataeos facta mentio fit locorum aqua carentium (Dem. c. 7 *εἰς τόπους ἀνύδρους*, Diod. c. 97 *ἐν ἐρημίᾳ καὶ τόποις οὐδ' ὕδωρ ἔχουσιν*, cf. c. 94 *ἄνυδρος γὰρ οὖσα*, sc. *ἡ ἔρημος*), incursio autem illa in Babyloniam Demetrio duce suscepta esse dicitur duaeque arces in ea terra memorantur.

Tum Dem. c. 8—14, quomodo Demetrius a patre in Graeciam missus (a. 307) repente Piraeum navibus occupaverit et Megaris Munychiaque captis Athenas [1]) se contulerit ibique multis honoribus affectus sit, enarratur. Atque Plutarchus cum Diodoro (XX, 45 et 46), quantum ad rerum ordinem pertinet, eo consentit, quod uterque scriptor illam expeditionem ante bellum Cyprium commemorat. Nec tamen alia desunt argumenta, quibus communem fontem adhibitum esse doceamur. Nam apud utrumque a Demetrio proclamatio facta, filius, ut Graecos ab hostibus liberaret, ab Antigono missus, decimo quinto anno post bellum Lamiacum finitum Atheniensium res publica libera restituta esse traditur; quin etiam de donis populo Atheniensi concessis tantum non prorsus congrua narrant.

Sequuntur et apud Plutarchum (c. 15—18) et apud Diodorum (XX, 46 ex. —53) res in Cypro insula gestae (a. 306). De quibus cum Plutarchi relatio satis pressa et multo brevior sit quam Diodorea, tamen non desunt, quae communem fontem et huic et illi scriptori fuisse indicent. Nam uterque narrat Menelaum a Demetrio, priusquam Ptolemaeus adesset, pugna esse victum, huic ipsi advenienti multas copias terrestres navesque fuisse (Dem. c. 15 *μετὰ δυνάμεως πεζικῆς καὶ ναυτικῆς μεγάλης*, Diod. c. 49 *δύναμιν ἔχων ἀξιόλογον πεζικήν τε καὶ ναυτικήν*), deinde Menelaum fratri classem suam auxilio mittere iussum esse, sexaginta autem naves illi fuisse eisque decem a Demetrio oppositas esse in portu angusto. Accedit quod similiter et hic et ille scriptor depingit, quanta sollicitudo Demetrio et Ptolemaeo de pugna commit-

---

[1]) Spatio semestri a. 307 altero Demetrium in ea urbe fuisse iam monumenta testantur; cf. U. Koehler in Herma Berolinensi V, 349 sq.

tenda fuerit, quantum eidem pugnae momenti tribuerint; quin etiam de ducibus, qui regis nomen usurparint, consentiunt.

Post bellum Cyprium in utraque relatione (Dem. c. 19—22, Diod. XX, 73—76, 81—88, 91—100) expeditio ab Antigono in Aegyptum facta et bellum Rhodo illatum [1]) ita memorantur, ut communem de his rebus fontem Plutarcho et Diodoro fuisse complura ostendant. Uterque enim terra marique Ptolemaeum ab Antigono bello lacessitum esse, copiarum terrestrium Antigonum, classis Demetrium fuisse ducem, hunc tempestatis vi et fluctibus concitatis periclitatum esse dicit; idem navis a Phila missae similiter mentionem faciunt machinamque. quae helepolis vocabatur, ingentem omnibusque prioribus maiorem fuisse tradunt; quin etiam laterum basis eius longitudo satis congruenter a Diodoro circiter quinquaginta, a Plutarcho duodequinquaginta cubitorum fuisse dicitur.

Sequuntur apud utrumque scriptorem (Dem. c. 23—28 init., Diod. XX, 100, 102, 103, 106—113) expeditio recens a Demetrio in Graeciam suscepta et res usque ad pugnam apud Ipsum commissam gestae. Ac ne de his quidem prorsus desunt, quae utrumque eodem auctore usum esse probent. Tradit uterque Sicyonis captae locum mutatum et urbem nomine immutato Demetriadem appellatam (Dem. c. 25, Diod. c. 102), Demetrium, ut ex Graecia in Asiam se conferret, adductum esse eo, quod alii reges adversus patrem conspirassent; quin etiam, quod Diodorus (c. 103 ex.) Orchomeno capta urbium praesidia et castella propinqua parum fortiter restitisse et Demetrio ultro se dedisse refert, simile quid apud Plutarchum (c. 25 init.) legitur.

De ceteris Demetrii vitae partibus Diodori narratione rarissime uti licet, quia l. XXI eius tantum non totus periit. Videamus igitur, quae similia insint in Dem. c. 28—53, in quibus de pugna apud Ipsum commissa, de rebus in Graecia et in Macedonia a Demetrio gestis, de expeditione ab eo in Asiam suscepta, de extrema eiusdem vita agitur, comparatis illis cum paucissimis fragmentis e Diod. l.

[1]) Olim assensus Muelleri opinioni (F. H. G. II, 460 not. 3 et introd. ad Pseudocallisthenem, p. 23), Diodorum praeter communem, quem statuemus, fontem etiam Zenonem Rhodium in illo bello enarrando auctorem secutum esse, iam Reussii (p. 122 sqq.) sententiam praefero, qua tota Diodori descriptio ex uno illo fonte, qui antea adhibitus sit, dicitur sumpta esse.

XXI, quae ad hanc quaestionem pertinent. Quo in libro quin de rebus in vita Demetrii enarratis maxime idem, qui antea, fons adhibitus sit, non est, cur dubitemus. Primum utrique scriptori de pugna apud Ipsum commissa (circiter aestate a. 301) communem fontem fuisse veri simile est, cum eodem prorsus modo multis vulneribus ob tela immissa Antigonum cecidisse tradant (Dem. c. 29 *πολλῶν ἀκοντισμάτων* sqq., Diod. XXI frg. I, 4 ed. Didot. *πολλοῖς βέλεσι* sqq.). Item, cum apud Plutarchum (c. 29) maxime elephanti inter Demetrium et pedites se interponentes illius cladis causa dicantur esse, etiam Diodorus (XXI frg. 1, 2), quanti momenti elephanti certatim audaciam et vim suam praestantes fuerint, memorat. Atque apud utrumque scriptorem ante pugnam illam describendam similiter dicitur Antigonus nimia regnandi cupiditate regnum suum perdidisse (Dem. c. 28 *καίτοι* sqq., Diod. XXI frg. 1, 1). Eisdem de eo convenit, quod Lysimachum magnam pecuniae vim Seleuco, si Demetrium interfecisset, se daturum esse promisisse (Dem. c. 51 *Λυσίμαχος δὲ* sqq., Diod. XXI frg. 20 *Λυσίμαχος . . . ἐπηγγέλλετο* sqq.), Seleucum, ut gratiam ab Antiocho filio iniret, patrem Stratonices uxoris eius servasse (ib. *Ἀντιόχῳ δὲ* sqq., Diod. ib. *ἔσπευδε δὲ* sqq.) tradunt.

His similia quaedam subiciamus, quae in prioribus omisimus, ne rerum ordinem turbaremus. Etenim et Plutarchus et Diodorus variis locis (Dem. c. 2 *ὢν μέγας* sqq., c. 20 *μεγέθει μὲν* sqq., Diod. XIX, 81 *κάλλει καὶ* sqq., XX, 92 *ἦν δὲ* sqq.) ita, ut non semel mirum in modum congruant, Demetrii pulchritudinem, magnitudinem, maiestatem, formam admirabilem, mansuetudinem, gratiam commemorant, idem saepius de operum a Demetrio confectorum, machinarum, navium magnitudine loquuntur (Dem. c. 20 *καὶ τὰς* sqq., Diod. XX, 92. 103: quin etiam verbum *φιλότεχνος* apud utrumque scriptorem invenitur). Quid? si quis verba perlegerit haec Diodori (XIX, 59): *μηνύσει δ' ἀκριβέστερον τὸ τῆς γυναικὸς* (sq. *Φίλας*) *ἦθος προϊὼν ὁ λόγος καὶ τὰ πράγματα λαμβάνοντα μεταβολὴν καὶ κρίσιν ἐσχάτην τῆς περὶ Δημήτριον βασιλείας*, nonne concedet cogitari ibi de miserabili vitae exitu uxoris fidae et res adversas mariti gravissime ferentis, quem Plutarchus (c. 45) tradidit? Quod si concessum erit, simile quid de Dem. c. 52 fine statuere liceat; ubi cum Dromichaetis adversus Lysimachum captum humanitas praedicetur, Plutarcho eadem ob-

versata esse arbitror, quae Diod. XXI frg. 12, 2—6 de huius regis captivitate leguntur.

Sed iam quaestione de rebus, de quibus uterque scriptor consentit, absoluta videamus, quae in verbis et vocabulis ab eis adhibitis similia inveniantur. Certissimo enim argumento narrationes ab aliquo scriptore ex fonte quodam petitas ita demonstratur, ut illius genus dicendi cum huius, si minus in omnibus, at in sat multis congruat nec verba nisi paululum mutata sint. Quo argumento cum in huius vitae fontes inquirenti propter Hieronymi historiae fragmentorum paucitatem uti non liceat, tamen non desunt loci, quibus utriusque illius relationis voces similes sint satisque congruant; sunt autem hi potissimum:

Dem. c. 2 ὢν μέγας ἰδέᾳ καὶ κάλλει προσώπου θαυμαστὸς καὶ περιττὸς ... ἡρωϊκή τις ἐπιφάνεια καὶ βασιλικὴ σεμνότης. Οὕτω δέ πως καὶ τὸ ἦθος ἐπεφύκει πρὸς ἔκπληξιν ἀνθρώπων ἅμα καὶ χάριν. Ἥδιστος γὰρ ὢν συγγενέσθαι	Diod. XIX, 81 τῷ κάλλει καὶ τῷ μεγέθει διάφορος ... εἶχε πολλὴν ὑπεροχὴν καὶ κατάπληξιν ... πρᾳότης τις ἦν περὶ αὐτὸν
ib. c. 20 μεγέθει μὲν γὰρ ἐξέπληττε καὶ τοὺς φίλους, κάλλει δὲ καὶ τοὺς πολεμίους ἔτερπε	id. XX, 92 ἦν δὲ καὶ κατὰ τὸ μέγεθος τοῦ σώματος καὶ κατὰ τὸ κάλλος ἡρωικὸν ἀποφαίνων ἀξίωμα, ὥστε καὶ τοὺς ἀφικνουμένους τῶν ξένων θεωροῦντας εὐπρέπειαν κεκοσμημένην ὑπεροχῇ βασιλικῇ θαυμάζειν καὶ παρακολουθεῖν ἐν τοῖς ἐξόδοις ἕνεκεν τῆς θέας.
ib. c. 21 ἕδρα μὲν ἦν τετράγωνος ἑκάστην ἔχουσα τοῦ κάτω πλαισίου πλευρὰν ὀκτὼ καὶ τεσσαράκοντα πηχῶν ... συννεύουσα ... τὸ δὲ πρὸς τοὺς πολεμίους αὐτῆς μέτωπον ἀνέῳκτο καθ᾽ ἑκάστην στέγην θυρίσιν,	id. ib. c. 91 ἐσχαρίου γὰρ ὄντος τετραγώνου τὴν μὲν πλευρὰν ἑκάστην ὑπεστήσατο πηχῶν σχεδὸν πεντήκοντα ... συννενευκότες ... Θυρίδας δ᾽ εἶχον αἱ στέγαι κατὰ πρόσωπον

ib. c. 18 *οἱ δ' ἐν Αἰγύπτῳ καὶ αὐτοὶ βασιλέα τὸν Πτολεμαῖον ἀνηγόρευσαν, ὡς μὴ δοκεῖν τοῦ φρονήματος ὑφίεσθαι διὰ τὴν ἧτταν. Ἐπενείματο δὲ οὕτως τὸ πρᾶγμα τῷ ζήλῳ τοὺς διαδόχους. Καὶ γὰρ Λυσίμαχος ἤρξατο φορεῖν διάδημα καὶ Σέλευκος … ὡς βασιλεὺς ἐχρημάτιζε. Κάσσανδρος δὲ*	id. ib. c. 53 *ὁ δ' Ἀντίγονος … ἐχρημάτιζε βασιλεύς … Ὁ δὲ Πτολεμαῖος οὐδὲν τῇ ψυχῇ ταπεινωθεὶς διὰ τὴν ἧτταν καὶ αὐτὸς ὁμοίως ἀνέλαβε τὸ διάδημα καὶ πρὸς ἅπαντας ἀνέγραφεν ἑαυτὸν βασιλέα. Παραπλησίως δὲ τούτοις καὶ οἱ λοιποὶ δυνάσται ζηλοτυπήσαντες ἀνηγόρευον ἑαυτοὺς βασιλεῖς, Σέλευκος μὲν … Λυσίμαχος δὲ καὶ Κάσσανδρος*
ib. c. 16 *αὐτὸς μὲν οὖν ὁ Πτολεμαῖος ἐπέπλει … Δημήτριος δὲ ταῖς μὲν ἑξήκοντα ταύταις* (sc. *Μενελάου ναυσὶν*) *ἀντέταξε δέκα ναῦς (τοσαῦται γὰρ ἤρκουν στενὸν ὄντα τοῦ λιμένος ἐμφράξαι τὸν ἔκπλουν)*	id. ib. c. 49 sq. *τὸν Μενέλαον … τὰς ναῦς … οὔσας ἑξήκοντα … Ὁ δὲ Δημήτριος κατανοήσας τὸν ἐπίπλουν, Ἀντισθένην μὲν τὸν ναύαρχον ἔχοντα ναῦς δέκα τῶν πεντηρικῶν ἀπέλιπε … ἔχοντος τοῦ λιμένος στενὸν τὸν ἔκπλουν.*
ib. c. 22 *δεόμενον προφάσεως τὸν Δημήτριον … ἐπὶ τῷ συμμαχεῖν Ῥοδίους Ἀντιγόνῳ καὶ Δημητρίῳ πλὴν ἐπὶ Πτολεμαῖον*	id. ib. c. 99 *Δημήτριος … ἐπετήρει καιρόν, δώσοντα προφάσεις εὐλόγους τῆς συνθέσεως … συμμαχεῖν δὲ Ῥοδίους Ἀντιγόνῳ, πλὴν ἐὰν ἐπὶ Πτολεμαῖον στρατεύηται*
ib. c. 19 *Δημητρίου χειμῶνι μεγάλῳ καὶ κλύδωνι κινδυνεύσαντος εἰς τόπους ἀλιμένους*	id. ib. c. 74 *τῶν δὲ πλοίων … τὰ μὲν ὑπὸ τοῦ χειμῶνος συγκλυσθέντα διεφθάρη … ἀλίμενον δέ ἐστι … κλύδωνος ῥηγνυμένου*
ib. c. 8 *ὅτι πέμψειεν αὐτὸν ὁ πατὴρ … Ἀθηναίους ἐλευθερώσοντα καὶ τὴν φρουρὰν ἐκβαλοῦντα*	id. ib. c. 45 *παράγγελμα δ' εἶχεν ἐλευθεροῦν … τὴν Ἀθηναίων* (sc. *πόλιν*), *φρουρουμένην ὑπὸ Κασσάνδρου.*

ib. c. 10 *προυπέσχετο ... σίτου πεντεκαίδεκα μυριάδας μεδίμνων καὶ ξύλων ναυπηγησίμων πλῆθος εἰς ἑκατὸν τριήρεις.*	id. ib. c. 46 *περὶ σίτου καὶ ξύλων εἰς ναυπηγίαν ... πυροῦ μὲν μεδίμνων πεντεκαίδεκα μυριάδας, ὕλην δὲ τὴν ἱκανὴν ναυσὶν ἑκατόν.*
ib. c. 6 *Ὁ δ' ἐξαίφνης ἐπιπεσὼν οὐ προαισθομένῳ καὶ φοβήσας ἔλαβεν αὐτῷ τῷ στρατηγῷ τὸ στρατόπεδον.*	id. XIX, 93 *Προσπεσὼν δὲ τοῖς πολεμίοις ... ἄφνω τῆς τε δυνάμεως ἄνευ μάχης ἐκυρίευσε καὶ αὐτὸν τὸν Κίλλην τὸν στρατηγὸν ἐζώγρησε.*
ib. c. 7 *τῶν Ἀράβων τοὺς καλουμένους Ναβαταίους ὑπαγαγέσθαι*	id. ib. c. 94 *στρατεύειν ἐπὶ τὴν χώραν τῶν Ἀράβων τῶν καλουμένων Ναβαταίων.*
ib. c. 5 *ἀπέβαλε δὲ καὶ σκηνὴν καὶ χρήματα καὶ ὅλως σύμπασαν τὴν περὶ τὸ σῶμα θεραπείαν. Ἀλλὰ ταῦτα μὲν αὐτῷ Πτολεμαῖος ἀπέπεμψε μετὰ τῶν φίλων*	id. ib. c. 85 *τήν τε ἁλοῦσαν βασιλικὴν ἀποσκευὴν καὶ τῶν αἰχμαλώτων τοὺς περὶ τὴν αὐλὴν εἰωθότας διατρίβειν χωρὶς λύτρων ἀπέστειλαν πρὸς Δημήτριον.*

cf. praeterea hi loci: Dem. c. 19 *Δημητρίου δὲ* sqq., Diod. XX, 73 *τῷ δὲ Δημητρίῳ* sqq.; Dem. c. 10 *Ἀθηναῖοι δὲ* sqq., Diod. XX, 46 *ὁ μὲν οὖν* sqq.; Dem. c. 5 *εὐγνώμονα* sqq., Diod. XIX, 86 *ἦν γὰρ* sqq., 55 *τὸ ... εὐμενὲς* sqq.

Hos qui perlustraverit locos, eum fugere non potest istorum auctorum vel singula verba saepe ita congruere, ut communem eis fuisse fontem arbitrari liceat, saepius autem eosdem, cum de sententiis et rebus consentiant, vocabulis uti plus minusve diversis. Quam ad rem magis illustrandam locis illis hos adiungo:

Dem. c. 5 *ἀνδρὶ συμπεσὼν ἐκ τῆς Ἀλεξάνδρου παλαίστρας ἠθληκότι πολλοὺς καὶ μεγάλους καθ' αὑτὸν ἀγῶνας.*	Diod. XIX, 81 *πρὸς ἡγεμόνας σχεδὸν μεγίστους ... Οὗτοι γὰρ πάντας τοὺς πολέμους Ἀλεξάνδρῳ συστρατευσάμενοι, καὶ πολλάκις καθ' αὑτοὺς δυνάμεων ἡγησάμενοι,*

ib. c. 6 *μετὰ λαμπρᾶς δυνάμεως, ὡς ἐξελάσων ἐκ τῆς Συρίας Δημήτριον ἁπάσης τῷ προηττῆσθαι καταφρονούμενον*

id. ib. 93 *τούτῳ δὲ δοὺς δύναμιν ἱκανὴν προσέταξεν ἐκδιῶξαι τὸν Δημήτριον τὸ παράπαν ἐκ τῆς Συρίας . . . τὸν Κίλλην στρατοπεδεύειν καταπεφρονηκότως*

Utroque loco cum res simillime atque apud Diodorum traditae sint, Plutarchum nonnunquam pro fontis minus ornatis vocabulis grandioribus, eundem saepius aliis atque quae in fonte repperit, eisque finitimis usum esse apparet. Sic priore loco, cum verba *καθ' αὐτοὺς* et *καθ' αὐτὸν*, *πολλάκις* et *πολλοὺς* sibi respondeant, pro verbo *συστρατεύεσθαι* vocabula *ἐκ τῆς παλαίστρας* et *ἀθλεῖν* scripsit. Quae metaphora cum etiam Pyrrh. c. 23 ex. et Anton. c. 9 inveniatur, simplicem notionem *συστρατεύεσθαι* in fonte fuisse imaginemque illam Plutarchi ipsius esse iure opineris. Neque magis dubium est, quin eo, quem postremum posui, loco ab eodem pro Diodori et auctoris communis verbo *ἱκανός* rhetorice adhibita sit vox *λαμπρός*. Sed etiam maius exemplum vocabulorum fontis nonnunquam mutatorum hic, de quo agitur, locus praebet. Cum enim pro verbo *καταφρονούμενον* Plutarchi apud Diodorum inveniatur *καταπεφρονηκότως*, hac forma rarissima quibusnam praecipue in libris hic scriptor usus sit, quaerere aptum videbatur esse. Atque ea invenitur XIV, 17, XIX, 58, 92, 93, 95, ut primo loco misso facto ex reliquis istam formam non temere ipsi Diodori fonti attribuas, a Plutarcho eam sponte mutatam esse arbitreris.

Ex his, quae diximus, satis videtur constare Diodorum et Plutarchum ex communi fonte hausisse; neque solum in ea Demetrii vitae parte, ad quam examinandam illius relatio tota servata est, sed etiam in reliqua hunc sua petivisse ex eo fonte et veri simile est propter fragmenta pauca, quae ex Diod. l. XXI satis cum Plutarchi narratione congruunt (cf. p. 5 sq.), et per totam vitam, dummodo ne singulis locis isti opinioni quaedam obstent, eundem fontem primarium adhibitum esse per se est consentaneum.

§ 2. Discrepantiae, quae, quominus fons communis adhibitus sit, non obstent.

Nunc discrepantias, quae in Plutarchi et Diodori relationibus inveniuntur, de sententia prolata nos movere nequaquam posse ita demonstrabimus, ut primum de eis rebus agamus, quae, licet ab alterutro scriptore non sint traditae, utique in fonte, quem sequebantur, commemoratae fuisse videantur.

Atque constat Plutarchum in vitis scribendis non ita operam dedisse, ut nationum regnorumque fortunam et casus accurate exponeret omniaque, quae ad rem pertinerent, congereret, sed animum ad alia advertentem saepe res gestas vel leves vel graviores omisisse; at eundem summo studio ea appetivisse, quae ad mores et indolem, virtutem et laudem eius, quem depingebat, spectarent. Qui cum hanc in scribendo rationem sectaretur, factum est, ut et de pugnis nonnullisque rebus gestis multo brevius, quam Diodorus, ageret et expeditionem priorem in Nabataeos factam, Arabum morum lacusque Asphaltitae descriptionem, res a Demetrio, dum Cyprum petit, item res a Ptolemaeo ad eandem insulam gestas, Salaminis obsidionem, ea, quae, dum Demetrius a. 302 Athenis commoratur atque inde profectus ad patrem in Asiam minorem contendit, et in hac terra et in Thessalia facta sunt, prorsus praetermitteret.

Aliae autem res sola neglegentia Plutarchi non semel nimis festinanter et indiligenter scribentis omissae sunt; in his est, quod, quae Diodorus (XX, 46) de Antigoni praesidio ex Imbro insula remoto et de communi Graecorum concilio instituendo tradit, ab illo non memorantur, quamvis et de ceteris donis Atheniensibus concessis cum Diodoro congruat et de concilio illo postea (c. 25) ipse verba faciat. Quod vero initii belli cum Rhodiis gesti mentionem non fecit, id sine dubio ea ratione qua c. 21 cum c. 20 coniunxit, est factum.

At ne Diodorum quidem semper satis accurate de rebus gestis egisse cum aliis exemplis comprobatum est, tum inde cognoscas, quod is scriptor inter XX, 103 ex. et 110 de rebus in Italia et in Asia minore gestis locutus reditum Demetrii ex Peloponneso Athenas factum (Dem. c. 26), idem in prioribus numerum Cille victo a Demetrio captorum (ib. c. 6) notare omisit. Itaque mirum non

est, quod a Plutarcho commemorata apud Diodorum desiderantur leviora haec: ea, quae Dem. c. 18 narrationi de regio nomine assumpto addita sunt de Seleuco et Cassandro, itemque, quae c. 5 sq. de voto Demetrii captivisque ab eo remissis, c. 22 de Ialysi imagine leguntur. Quas res cum communi fonti attribuamus, tamen c. 18 *τοῦτο δὲ* sqq. Plutarchi sententia, c. 22 *ἑπτὰ — ἐπενείματο* et ea, quae ibidem paulo ante de Philippi tabellariis leguntur, potius diversi fontis videntur esse.

Sed progrediamur ad res, quae ab utroque scriptore traditae ita discrepare videantur, ut primo obtutu communem fontem eis fuisse diffitearis, ut tamen istae res plerumque nullo negotio iungi possint. Atque ex levioribus ut hoc afferam, minima differentia est, quod Diodorus (XX, 46) Antigonum Atheniensibus cum legatis eorum collocutum dona concessisse, Plutarchus (c. 10) Demetrium haec Athenis promisisse tradit, cum fieri possit, ut in communi fonte scriptum fuerit Demetrium illa dona pollicitum esse, eademque Athenienses legatis missis a patre eius accepisse. Accedenti ad res graviores de tempore, quo Menelaus in bello Cyprio naves ex portu emittere iussus sit, alterum ab altero differre apparet; atque cum Diodorus nihil afferat de Ptolemaei mandato, ut frater, dum acerrime proeliarentur, in Demetrii classem erumperet, Plutarchus illud mandatum Citio Menelao missum pariterque ipsam eruptionem factam praeterit. At potius neuter scriptor omnia, quae in fonte inerant, tradidisse videtur, in quo fere haec invenerint: Ptolemaeum primum, ut Menelaus suas naves ipsi ad classem augendam mitteret, petivisse, eundem autem parum feliciter succedente ea re ante proelium initum iterum fratrem, dum proeliarentur, hostium classem a tergo adoriri iussisse; idque tardius et sine successu Menelaum paucis, quas Demetrius ipsi opposuisset, navibus victis fecisse. Quod si fieri posse, ut istae res ita deinceps gestae sint, concesseris, manifestum exemplum habes, quanta interdum in fonte adhibendo Plutarchi socordia fuerit. Ut enim, quod prius illud mandatum omisit, facile ei indulgeamus, quoniam omnino de rebus pugnam navalem antecedentibus brevissime egit, tamen, quod eruptionis factae mentionem non fecit, de qua imperata antea solus memoraverat, id haud dubie non leve neglegentiae indicium est. Itemque, si quid video, et Plutarchus et Diodorus (Dem. c. 8 sq., Diod. XX, 45) de eis, quae Munychiae obsidionem antecesserunt, neglegenter egerunt, ut facile utriusque relationis discrepantias re-

moveas. Nimirum ab illo, quem uterque auctorem secutus est, ita fere relatum esse putabimus: Athenienses naves, cum appropinquarent, primum Ptolemaei esse arbitratos errore agnito Demetrio restitisse, sed proclamatione eius facta plerosque confligere noluisse, quippe quos Macedonum et Demetrii Phalerei taederet; hos ipsos fortiter pugnasse, coactos vero esse Piraeo relicto se recipere; deinde Cassandri praesidio Munychiae ad castellum defendendum se praeparante Phalereum sociosque eius de pactione cogitasse. Iam, quae de Atheniensium legatis et de Aristodemo ab utroque traduntur, neque prorsus congruunt et facile inter se iunguntur apteque coniuncta sunt a Droyseno (I, 435 sq.) [1]).

Venimus ad res post bellum, quod Antigono cum Rhodiis fuerat, finitum (aestate fere a. 304) in Graecia gestas, de quibus, ut saepius, alterum scriptorem cum altero (Dem. c. 23, Diod. XX, 100) non consentire neminem fugit; attamen etiam hic nisi utriusque neglegentia discrepantiae causa non videtur esse, et nescio an communis auctor tradiderit: Demetrium pace cum Rhodiis facta navibus in Graeciam vectum primum Aulidem petivisse Chalcidemque liberasse, deinde Cassandrum ipsius adventu, ut Atticam relinqueret, adductum usque ad Thermopylas persecutum esse. Unde Heraclea urbe et Macedonum parte auctum eundem Graecos citra Thermopylas agentes a Cassandri praesidiis liberasse Boeotosque, ut secum societatem inirent, coëgisse; quo facto Athenas eum profectum esse et societate cum Aetolis facta bellum recens contra hostes parasse. Quod si ita ab utriusque scriptoris auctore eas res enarratas esse concesseris, etiam magis de rebus paulo post in Peloponneso gestis (a. 303) et Plutarchus (c. 25) et Diodorus (XX, 102 sq.) indiligenter ex eodem fonte hausisse videntur, quia, cum de plurimis relationes eorum differant, tamen in eisdem non prorsus deesse vidimus similia (p. 5). Quamobrem satis probabiliter et commode ita utramque narrationem iungemus [2]): Demetrium Sicyone Corinthoque in potestatem suam redactis Achaiae urbes atque Arca-

---

[1]) Quem virum Schmidt, de expeditionibus a Demetrio Poliorceta in Graeciam susceptis, Pyritzii 1873, p. 6 iniuria contendit falso dicere Phalereum et ipsum legatum in Piraeum ivisse; cf. Diod. c. 45 τῇ δ' ὑστεραίᾳ sqq.

[2]) Alia ratione id fecerunt Droysen (I, 505 sqq.) et Schmidt (p. 9 sq.).

diam excepta Mantinea, deinde Argolidis partem, quae Acte nominabatur, Argosque expugnasse.

Iam, quod a Plutarcho (c. 22 ex.) Athenienses, a Diodoro (XX, 99) Aetolorum legati, ut Rhodii cum hostibus in gratiam redirent, perfecisse feruntur, eam minus discrepantiam quam Plutarchi errorem esse aperte alterius scriptoris relatio videtur ostendere. In ea enim ante Aetolorum adventum alii legati memorantur (XX, 98) de pace ad Demetrium missi ab urbibus Graecis, maxime ab Atheniensibus; qui ut ea causa, quae Dem. c. 23 init. commemoratur, adducti sint, fieri potest. Itaque haud scio an Plutarchus, qui Atheniensium mentionem fecit, cum festinantius scriberet, Aetolorum oblitus sit. Similiter alio loco Plutarchi solius neglegentia effecit, ut relatio eius a Diodori discreparet. Etenim ille c. 5 init. filium ab Antigono, postquam Ptolemaeum Syriam populari audivisset, ex Phrygia hosti obviam missum esse (a. 312) tradit. Atqui res a Demetrio gestas exponendi initium facientem eum parum accurate communi fonte usum esse intellegitur ex Diod. XX, 69 et 80, ubi Antigonus ad Celaenas, Phrygiae urbem, progressurus (a. 314) filium in Syria, ut eam ab impetu, quem fore suspicabatur, Ptolemaei defenderet, reliquisse, Demetrius ex eo tempore in Coelesyria incursionem Aegyptiorum exspectare dicitur. Atque error errorem creavit: cum enim Diodorus a. 314 viginti duos annos natum Demetrium in Syria relictum et a. 312 apud Gazam victum esse tradiderit, Plutarchus eundem ipso anno, quo ea pugna committitur, iuvenem viginti duorum annorum appellat eo, quod de Demetrii aetate in communi fonte relatum invenit, temere ab a. 314 ad a. 312 translato: quae res etiam magis apparet comparato Appian. Syr. c. 54 [1]).

Iam de discrepantiis quibusdam in numeris utriusque relationis obviis agamus. Itaque primum, quod Plutarchus (c. 5) apud Gazam Demetrii copiarum octo milia, Diodorus (XIX, 85) supra octo milia capta esse tradit, nullius momenti est; idemque prorsus de mortuorum numeris statuendum est. Nec magis in discrepantiis cen-

[1]) Parum recte de Demetrii aetate Mueller (III, 700 not. § 8, 2) dicit Appianum et Plutarchum congruere cum Porphyrio, qui Demetrium a. 312 viginti duos annos natum prodit. Sed ut Plutarchum id nisi errore non tradidisse cognovimus, ita ne Appianum quidem de a. 312, sed de a. 314 agere docet comparatio loci eius *χωρῶν — Αἰγύπτου* cum Diod. XIX, 69 *Ἀντίγονος ... Δημήτριον — εἴκοσιν*. Nisi quod scripsit Appianus *ἐν Γάζῃ* errore ductus, quod apud Gazam paulo post pugnatur.

sendum est, quod apud Diodorum (XIX, 100) sex, apud Plutarchum (c. 7) septem milia militum in Babylonia dicuntur relicta esse, cum, ut in huius relatione pro *ἑξακιςχιλίους* errore *ἑπτακιςχιλίους* scriptum esse arbitremur, facillime eo adduci possimus, quod iam c. 6 vocabulum *ἑπτακιςχιλίους* legitur. Restant numeri Dem. c. 16 et Diod. XX, 49 sq. et 52 sq. traditi; quos de Demetrii Ptolemaeique classibus, de navibus, quae utrique in proelio navali fuerint, deinde de hominibus rebusque, quos Ptolemaeus amisisse dicitur, denique de peditibus et equitibus, qui in insula se dediderunt, maxime differre apparet. Attamen, quia cum de aliis, tum de numeris navium Menelai et earum, quas Demetrius eis opposuerit, consentiunt, non tam diversos fontes adhibitos, quam aut in alterutra aut in utraque relatione numeros et res vel ex parte vel omnes parum recte traditos esse probabiliter statuemus: nisi forte numeros, de quibus agitur, a Plutarcho ex alio fonte quam Diodoreos petitos esse veri simile ducas.

Itaque discrepantiae, quas in medium protulimus, non impediunt, quominus de communi fonte cogitemus: nisi quod eorum, quae tradita ab utroque auctore invenimus, pars ab alterutro vel neglegentia vel, quia a proposito aliena videretur, omissa, pars minus accurate memoriae prodita esse statuenda est. Atque cum Plutarchus non semel in errores inciderit, ne Diodorum quidem, cuius relationem ad res ab illo allatas examinandas magni pretii esse apparet, constanti diligentia de rebus gestis rettulisse complura exempla docuerunt.

Pauca addo, quae eodem spectant, de rebus quibusdam in posteriore Demetrii vitae parte traditis. Atque primum, quod Plutarchus c. 36 [1]) Alexandrum Larisae iterum Demetrio insidias

[1]) Quod cum Dem. c. 36 et 37 satis congruunt Pyrrh. c. 6 *τῶν Κασάνδρου — Ἀντιπάτρου* et c. 7 *τῷ δὲ Ἀλεξάνδρῳ — Μακεδονίας*, ubi de eisdem rebus agitur, has Pyrrhi vitae partes non secus atque illas Demetrii vitae et ipsas ex communi Diodori et Plutarchi fonte petitas esse statuo, neque assentior Muellemeistero, qui (de fontibus Pyrri Plutarchei, Gott. 1874, p. 13 sqq.) Timaeum de eis Plutarchi auctorem fuisse contendit. — Ceterum, quod Diod. XXI frg. 7 priores Alexandri insidiae omittuntur, in eo idcirco offendere non licet, quod solum fragmentum servatum est, neque inde de libro integro quidquam statuendum est. Ibidem parum probabiliter Diodorus solus etiam Antipatrum a Demetrio interfectum esse tradit; veri similius Iustinus (XVI, 2) refert Lysimachi opera id factum esse.

parasse dicit nobis non persuadebit; parum enim probabile est illum, cui minore periculo vel in Macedonia ipsa tectus a suis vel in itinere mortem inferre potuisset, eius interficiendi consilium in Thessalia demum cepisse. Quae res, si quid video, potius Plutarcho ipsi nescio quo errore ducto, quam fonti eius, attribuenda est. Praeterea in eiusdem scriptoris c. 40 aperte falsum est *δέκατον ἔτος*, cum Thebae a. 315 (Diod. XIX, 54) restitutae fere autumno a. 291 (Droysen I, 594, not. 90) a Demetrio captae sint. At, quod ibidem paulo ante *τρισκαίδεκα* interfecti esse dicuntur, cum Diod. XXI frg. 14, 1 *δέκα* tradantur, Plutarcho hic plus tribuendum puto, quam Diodoro summam solidam, ut fit, ponenti.

§ 3. Res, quae non ex communi fonte, sed ex aliis a Plutarcho memoriae proditae sunt.

Iam vero aliae res multae restant, quas fieri non potest quin ex aliis, quam ex quo Diodorus et Plutarchus fere hauserunt, fontibus hic scriptor in Demetrii vita describenda petiverit. Neque enim unum fontem eis, quae ut aliena a communi auctore illo abiudicanda censemus, statui posse quemvis ipsa varietas rerum docebit. Quibus de rebus ita agemus, ut quaestionem de eis, qui maxime earum fontes existimandi sint, in posteriorem locum (p. 32 sqq.) reiciamus.

Ac primum est ubi res quaedam a Plutarcho aliter atque a Diodoro traditae de diverso fonte cogitare nos iubeant. Cum enim de ordine, quo res Munychiae et Megaris gestae se exceperint, storum scriptorum narrationes discrepent, Plutarchum de eo cum alio rerum scriptore consentire infra apparebit. Accedit quod, ubi de Megaris agitur, a Diodoro (XX, 46) Demetrius beneficia in eam urbem contulisse dicitur, Plutarchi vero auctor (c. 9) de eodem iniquius iudicat, cum militibus eius rapinas et praedationem exprobret, quarum tamquam argumenta narrationes de Stilpone illae in medium proferuntur. Item Plutarchus (c. 10) et Diodorus (XX, 46) quamvis de nonnullis honoribus Demetrio eiusque patri concessis consentiant, tamen plura ab altero tradita alter omisit; quae differentia maior est, quam ut eae res vel neglegenter vel consulto

praetermissae esse dici possint. Denique eidem scriptores (Dem. c. 26, Diod. XX, 110) de Demetrio mysteriis initiando parum inter se consentiunt, unde Plutarchum de ista re alium fontem adhibuisse iam alii probabiliter coniecerunt.

Venimus ad res a Plutarcho commemoratas, quae apud Diodorum non inveniuntur neque in communi utriusque fonte videntur traditae esse. Primum, quod Plutarchus (c. 7 ex.) Halicarnassum a Demetrio liberatam esse tradit, id, cum neque apud Diodorum, quamquam vel XX, 20 vel 37 (ut Brueckner p. 269 monet) fieri potuit, memoretur, neque in ipsius Plutarchi narratione apte cum praecedentibus cohaereat (cf. Droysen I, 408), ex fonte communi non petitum esse licet statuere. Iam vero res a Demetrio, dum Athenis commoratur, gestae plurimae a Plutarcho describuntur; quarum cum prorsus nullius apud Diodorum mentio fiat — nam de honoribus Demetrio, ubi primum Athenas venit, tributis utrumque scriptorem non indidem sua hausisse videri paulo ante cognovimus —, sine dubitatione Plutarchum (c. 11—13, 23, 24, 26) etiam in eis rebus enarrandis alium auctorem secutum esse statuemus. Nec magis Diodorus memorat alternas minas et superba postulata Demetrii Ptolemaeique ante pugnam navalem ad Cyprum commissam (Dem. c. 15) nec refert Demetrium, priusquam ex Graecia eam insulam peteret, Sicyonis et Corinthi ducem corrumpere conatum esse (ib.), eundem postea Corinthum praesidio corrupto cepisse (Dem. c. 25). Quae relationes cum omnes earundem urbium mentionem faciant, haud dubie ex eodem fonte a Diodoro non adhibito petitae sunt.

Iam vero cum simplici illa scribendi ratione, quam in communi utriusque scriptoris fonte cognovimus, parum quadrat mira et magnifica descriptio victoriae ab Aristodemo nuntiatae, quam Plutarchus tradit (c. 17), etsi fieri potest, ut is vir in legatis a Diodoro (XX, 53) memoratis et vel princeps eorum fuerit. Item nescio an iure magnificentior, quam communem illum fontem deceat, iudicetur esse descriptio exsequiarum pompaeque funebris Demetrii eiusque rationis, qua Antigonus ei obviam venienti processisse fertur (Dem. c. 53).

Sed etiam aliae res minoris momenti in Demetrii vita plurimae comparent, quae continentur variis narrationibus et narratiunculis, quales modo ad eum, quem depingebat, referendas modo minus cum eo cohaerentes solet fere in vitis scribendis relationi

suae Plutarchus inserere; quas res sine dubio aliunde haustas hoc loco non est cur singulas enumeremus, cum infra, ubi de earum fontibus agemus, omnium proponendarum copia fiat.

Restat, ut de iudiciis, quae saepius de Demetrio in vita eius fiunt, quaedam moneamus. Etenim qui locos illos, quos supra (p. 7) laudavimus, ex Dem. c. 2, 20, Diod. XIX, 81, XX, 92 petitos perlegerit, nullo negotio concedet cum eis nequaquam consociari posse iudicia iniqua, quae de eodem viro saepius in medium proferantur, eaque eiusdem auctoris esse non posse. Sunt vero hi loci: c. 14 ἄλλως δὲ — γυναιξὶν et τοιαύτῃ μὲν sqq., c. 25 ὧν ἐκεῖνος sqq., cuius loci finem certo alii fonti attribui infra (c. 3) intellegetur, c. 52 omnia, quae iniquius de Demetrii extrema vita et morte referuntur. Sed maxime idem de c. 41, 42, 44 iudicandum est, in quibus acerbissimum iudicium de Demetrio fit atque superbus, consuetudine molestus, luxuriosus, difficilis dicitur is, quem humanum, mansuetum, forma et maiestate insignem appellatum in communi fonte illo saepius invenimus. Atque in eadem narrationis parte etiam aliud est, quod offensionem habeat. Nam si et, quae copiae navesque variis temporibus Demetrio fuerint, et, in qua fortuna condicioneque idem tum versatus sit, consideramus, numerus copiarum (fere 110,000) naviumque (500), qui c. 43 invenitur, nimius videtur esse atque adeo incredibilis, qui scriptori res ad animos delectandos augenti atque exornanti magis conveniat. Itaque hic quoque alium quam communem illum auctorem Plutarchi agnoscimus; qui quis fuerit, infra locus erit anquirendi.

—

§ 4. Quaeritur, quis fuerit auctor ille communis Plutarchi et Diodori.

Iam, cum ex eis, quae adhuc disputavimus, consequi videatur Plutarchum et Diodorum in plerisque unum eundemque auctorem secutos esse, discrepantias autem quae inter eos scriptores inveniantur, multo minoris esse momenti, restat, ut anquiramus, quis auctor ille fuerit. Ac iam supra eius sententiae mentionem fecimus, qua viri docti Diodorum in rebus post Alexandri mortem gestis enarrandis fere ex Hieronymi Cardiani historia suam relationem petivisse

opinati sunt; quam sententiam cum comprobemus, commode quaedam, quibus ea firmetur, afferemus. Primum enim, quod Diod. XIX, 100 verbis *ἐπὶ μὲν ταύτης* (agitur de pecuniis ex bitumine exigendis) *ἔταξεν Ἱερώνυμον τὸν τὰς ἱστορίας συγγράψαντα* eum virum omne bitumen e lacu congerere iussum esse scripsit, inde opinari licet Hieronymum, quamquam res ei mandata parum successit, omnia, quae necessaria essent, aut oculis suis collustrasse aut ab incolis percontatum esse. Neque dubito, quin, quae et illo loco Diodori, quamvis non ut auctoris ipsius narrationis, eius mentio fit, et eiusdem libri c. 98 et 99 invenitur copiosa accurataque lacus Asphaltitae descriptio, ipsi Hieronymo attribuenda sit [1]. Nec minus alteram narrationem uberrimam (XIX, 94), in qua de Arabum moribus victuque agitur, et ipsam ex libro oriundam esse oportet, quem qui scripsit, istas res bene noverat, quas haud gravate putabimus eum comperisse expeditionis Demetrii in Nabataeos factae socium. Quare etiam in his exponendis Diodorum Cardianum illum auctorem secutum esse suspiceris. Adde quod Diod. XIX, 82 Demetrii aciei singulae res describuntur, Ptolemaei (c. 83) universe tantum mentio fit et ita, ut, quantae exercitus partes fuerint, non cognoscatur. Quae res, Diodori fontem talem ut statuamus, cogit, qui accuratius, quae ad Antigonum eiusque propinquos, quam quae ad alios reges pertinebant, respexerit; qui quominus Hieronymus [2] fuerit, nihil obstat. Idem de Diod. XX, 50 iudicandum est, ubi de Demetrii acie ad proelium navale instructa plurima, de Ptolemaei paucissima verba fiunt. Accedit quod cum pugnantium omnium, tum Demetrii ipsius fortitudo summo studio exponitur atque ita, ut fere rem ipsam geri videas. Denique Diod. XIX, 81 Demetrii animi virtutes et gratia popularis non sine magno studio magnaque admiratione depinguntur; quod cum a quolibet scriptore fieri potuisse facile concedam, tamen eam descriptionem ex libro

---

[1]) Confirmatur ea sententia comparatione Diodori narrationis instituta cum fragmento quodam Hieronymi, quod iam Heyne de fontibus hist. Diodori comm. II (in Dindorfii ed. Diodori I, p. LXXVIII, n. 3) allulit: *Ἱερώνυμος ἱστόρησεν ἐν τῇ Ναβαταίων χώρᾳ τῶν Ἀράβων εἶναι λίμνην πικράν, ἐν ᾗ οὔτ᾽ ἰχθῦς οὔτ᾽ ἄλλο τι τῶν ἐνύδρων ζῴων γίνεσθαι, ἀσφάλτου δὲ πλίνθους ἐξ αὐτῆς αἱρεῖσθαι ὑπὸ τῶν ἐπιχωρίων.* Cf. Reuss p. 103 sq.

[2]) Quem virum ipsum pugnae interfuisse probabiliter coniecit Brueckner (p. 269).

viri Demetrio amicissimi, qualis Hieronymus fuerit, petitam esse consentaneum est.

Agedum accedamus ad Plutarchum; cui quod communem cum Diodoro fontem fuisse demonstravimus, protinus ad Hieronymum deferimur. Neque obstat huic opinioni, quod is rerum scriptor nusquam per totam vitam fons nuncupatur, cum et in hac vita universe tantum vocibusque parum definitis fontium mentio fiat nec semel Plutarchus auctorem quem sequitur primarium, aut raro aut prorsus non commemoret [1]). Immo praeter illud argumentum sunt, quae Plutarchum ex Cardiani illius historia hausisse videantur indicare. Etenim cum [Lucian.] Macrob. c. 11 verbis *ὥσπερ ὁ συστρατευόμενος αὐτῷ* (sc. Antigono, Demetrii patri, cuius memoratur mors) *Ἱερώνυμος ἱστορεῖ* eum virum pugnae apud Ipsum commissae interfuisse testetur, ex Hieronymi ipsius relatione Plutarchum ea, quae de pugna illa tradit, petivisse veri simillimum fiet, si comparaveris, quae Dem. c. 29 (*πολλῶν ἀκοντισμάτων εἰς αὐτὸν ἀφεθέντων ἔπεσε*) et [Lucian.] l. l. (*τραύμασι πολλοῖς περιπεσὼν ἐτελεύτησεν*) de Antigoni morte leguntur. Quid quod verba c. 28 *σύννους — καθ' ἑαυτὸν* tam graviter et dilucide videntur mihi scripta esse, ut nisi spectatoris testisque ea esse non posse coniciam? quem Hieronymum fuisse tuto existimabimus. Denique, quamquam non ut fontis, sed ut magistratus eiusdem viri c. 39 mentio facta est, tamen, ut Diod. XIX, 100, ita hoc loco (c. 39 sq.) relationem de bellis cum Boeotis gestis Cardiano ipsi adiudicare licet.

Iam ea, quae certa et explorata de isto rerum scriptore et imagini eius depingendae idonea sunt, afferemus, nec tamen nisi gravissima attingemus; copiosius enim saepius alii [2]) de eo egerunt.

---

[1]) cfr. Fr. Rühl, Die Quellen Plutarch's im Leben des Kimon, Marburgi 1867, p. 1 sq.

[2]) Disseruerunt de eo praeter Brueckneruin et Reussium l. l.: G. I. Vossius, de historicis Graecis (ed. A. Westermann, Lips. 1838) l. I c. 11. Fr. Sevin, *recherches sur la vie et les œuvres de Jérôme de Cardie*, in *Mémoires de l'académie des inscr.*, tome XIII, p. 20 sqq. Gottl. Kiessling, de Menaechmo et Hieronymo Cardiano, Cizae 1830. G. A. Schmidt, de fontibus veterum auctorum in enarrandis expeditionibus a Gallis in Macedoniam atque Graeciam susceptis, Berol. 1834, p. 25 sqq. Müller, l. l. II, 450 sqq. P. Müllemeister, de fontibus Pyrri Plutarchei, Gott. 1874, p. 6 sqq.

Atque cum ἡ τῶν διαδόχων ἱστορία vel ἡ τῶν διαδόχων καὶ ἐπιγόνων ἱστορία [1]) ab Hieronymo Cardiano descripta, quae totum illud temporis spatium ab Alexandri Magni usque ad Pyrrhi mortem (323—272), vel fortasse etiam aliquot annos amplius complexa est, tantum non tota perierit, ad genus scribendi et mores eius diiudicandos ex fragmentis perpaucis, quae servata sunt, non multa sumi possunt. Attamen ex fragmentis in vitae Pyrrhi a Plutarcho descriptae c. 17, 19, 27 servatis hoc concludere licet scriptorem illum numeros non in maius auxisse, sed fidei et veritati plus quam animos legentium commovendi studio tribuisse; neque splendorem et speciem orationis eundem sectatum esse testatur Dionys. de comp. verb. c. 4.

Sed plura, nisi fallor, quam ex fragmentis, ex eis, quae de Hieronymi vita memoriae prodita sunt, consequuntur. Nam ab Eumene, cui amicitia coniunctissimus fidum se praestitit, ad Antipatrum, idem postea ab Antigono ad Eumenem legatus missus est. Deinde ab Antigono captus lacus Asphaltitae custodiam accepit (Diod. XIX, 100), Syriae provinciae ab eodem (Ioseph. contra Ap. I, 23), postea Boeotiae a Demetrio (Plut. Dem. c. 39) praefectus est; denique eum summo favore amplexus est Antigonus Gonatas (Paus. I, 13, 9). Iam vero, cui et Eumenes et Antigonus eiusque filius et nepos summam fidem habuerunt, qui in rei publicae administratione floruit atque summis honoribus functus est, eum temporis sui rebus describendis satis idoneum esse oportuit, quoniam facilius quam alii pleraque cognoscere potuit. Et vero eo maioris momenti res gestae ab eo litteris mandatae iudicandae sunt, quia non paucis ipse interfuerat; quem Agatharchides ([Lucian.] Macrob. c. 22) multum in bellis versatum, multos labores et vulnera perpessum esse nec tamen usque ad ultimum vitae diem in ullius sensus usu aut sanitate quidquam desiderasse hominumque consuetudini semper aptum fuisse tradit.

Quoniam de Hieronymi vita et historia diximus, nunc pauca addamus, quae ex Diodori et Plutarchi, si recte eos illo auctore niti probavimus, relationibus perlectis ad mores eius et scribendi rationem illustrandos proveniunt. Inde igitur, quod ad historiam ipsam attinet, Cardianum illum descriptiones etiam, quae minus ad res gestas pertinebant, nonnunquam inseruisse (cf. Diod. XIX, 94, 98,

[1]) cf. Usener in Mus. Rhen. XXIX, 36 not. 2.

99), eundem de rebus bellicis uberius et accurate tradidisse (cf. XIX, 82 sq., XX, 50, descriptio belli cum Rhodiis gesti) cognovimus. Quae res efficit, ut facile in eam cogitationem incidamus Hieronymo rerum experientia insigni uti licuisse commentariis publicis [1]), quae in aulis Alexandri successorum, qua in re et ipsa eius regis exemplum imitabantur, videntur non defuisse (cf. Plut. Pyrrh. c. 21, Paus. I, 12, 2, Dionys. Hal. XX, frg. 10 ed. Kiessl., Diod. III, 38). Praeterea, ut pugnae apud Gazam commissae eum ipsum interfuisse Brueckner (p. 269) coniecit, ita eundem in multis expeditionibus Demetrii comitem fuisse sumi potest.

Iam eis nisi, quae in Diodori et Plutarchi relationibus historiae eius adiudicavimus, quaeramus, qua fide Hieronymus in scribendo adversus fautores regios usus sit, num sine ira et studio de eorum adversariis aliisque regibus iudicarit an, cum Antigonis Demetrioque plus aequo faveret, ut veritatem neglegeret, commotus sit. Atque iudicia quidem eius de aliis regibus aequa et iusta non deesse hi loci testantur: Diod. XIX, 55 et 86, Dem. c. 5 (ubi Ptolemaei virtutes laudantur), Diod. XX, 106 (ubi praedicatur Lysimachi virtus), id. XIX, 90, 91, 92 (ubi Seleuci humanitas commemoratur). Deinde fortunas et vicissitudines Antigoni Demetriique eundem maxime persequi atque huius et animi et corporis virtutes non semel praedicare primo statim obtutu apparet (cf. Diod. XIX, 81 et 85, XX, 52 et 92, Dem. c. 2, 9, 17, 20, 30, 34, 39). Nec tamen eundem scriptorem, quae minus bona Demetrio eiusque patri inessent, prorsus silentio praeteriisse ex nonnullis locis certo, ex aliis probabiliter concludere licet. Nam Diod. XXI, frg. 1, 1, Dem. c. 28 exprobratur Antigono nimia potestatis et regnandi cupiditas, qua sola regnum suum perdiderit; itemque *πλεονεξία* vitio datur eidem Diod. XX, 106, filio eius XXI, frg. 20. Nec minus Antigono saepius obicitur *τραχύτης* (Diod. XIX, 57, XX, 82, Dem. c. 28). Accedit quod Diod. XIX, 100 vituperatio, quam Demetrius a patre subiit, commemoratur; cui loco Dem. c. 40, ubi idem, quod milites frustra perdat, reprehenditur a filio, adiungi videtur posse. Pariter Hieronymo Dem. c. 29 verba, quibus Demetrius hostes

[1]) Hieronymum Pyrrhi *ὑπομνήματα βασιλικά* adhibuisse intellegitur ex Plut. Pyrrh. c. 21. Eundem Demetrii patris commentariis usum esse iam Droysen (I, 670) coniecit. Plura nunc dedit Reuss p. 82, 84, aliis locis.

acrius persecutus temeritate victoriam perdidisse dicitur, attribuemus, quia et iudicium istud liberius quidem, sed sine acerbitate fit, et simul additur, quam praeclare idem dux antea proeliatus sit. Cum igitur locis postremum allatis effecerimus Hieronymum res, ut factae erant, tradidisse, ne vitia quidem Demetrii artesque minus bonas plane dissimulavit, licet verecundius eum reprehenderit; id quod ex his locis intellegitur, quibus comparatis simul argumentum communis fontis a Plutarcho et Diodoro adhibiti novum habes:

Dem. c. 2 *σχολάζων περὶ πότους καὶ τρυφὰς καὶ διαίτας ἁβροβιώτατος βασιλέων, ἐνεργότατον αὖ πάλιν καὶ σφοδρότατον τὸ περὶ τὰς πράξεις ἐνδελεχὲς εἶχε καὶ δραστήριον· ᾗ καὶ μάλιστα τῶν θεῶν ἐζήλου τὸν Διόνυσον, ὡς πολέμῳ τε χρῆσθαι δεινότατον εἰρήνην τε αὖθις ἐκ πολέμου τρέψαι καὶ πρὸς εὐφροσύνην καὶ χάριν ἐμμελέστατον.*

Diod. XX, 92 *κατὰ μὲν τὴν εἰρήνην ἐν μέθαις διέτριβε καὶ συμποσίοις ἔχουσιν ὀρχήσεις καὶ κώμους, καὶ τὸ σύνολον ἐζήλου τὴν μυθολογουμένην ποτὲ γενέσθαι κατ' ἀνθρώπους τοῦ Διονύσου διάθεσιν, κατὰ δὲ τοὺς πολέμους ἐνεργὸς ἦν καὶ νήφων, ὥστε παρὰ πάντας τοὺς ἐργατευομένους ἐναγώνιον παρέχεσθαι τὸ σῶμα καὶ τὴν ψυχήν.*

Quamquam, si quidem recte supra (p. 10) contendimus saepius fontis verba a Plutarcho mutata esse, vix fieri potest, quin ipsi [1]), non Hieronymo, acerbiorem vocem *τρυφάς* attribuamus, quippe quae apud Diodorum non inveniatur; neque aliter c. 19 *τρυφὰς — ἔνηφε*, quo loco toto tantum ea, quae c. 2 invenimus, iterari neminem fugit, vocabulum primo loco positum Plutarcho ipsi tribuendum erit.

Iam vero, quae iudicia libere et aperte, licet breviter, Hieronymum de Demetrio fecisse posuimus, minime cum eis confundenda sunt, quae de eodem copiosissime et fere maligne facta in Demetrii

---

[1]) Similiter, si quis dicat c. 34 rationem, qua Demetrius in theatro se gessisse dicatur, magnificentius, quam ut Hieronymo attribui possit, descriptam esse, dubitationem ita tollere mihi videor, ut vocabula *ὥσπερ οἱ τραγῳδοί* a Plutarcho addita esse suspicer. — Ceterum verba *κατέστησεν — ἦσαν*, quae paulo ante inveniuntur, Grote *(History of Greece*, Londini 1870, XII, 210) male interpretatus est „*naming his own* (sc. Demetrii) *friends as magistrates*,“ cum Plutarchus de populi amicis loquatur.

vita saepius invenimus et a communi illo fonte, id est Hieronymo, abiudicavimus (p. 18).

Atque cum paulo ante loci ex c. 2 petiti mentio facta sit, hic commode quaedam de Demetrii vitae initio, de quo nondum egimus, adiciemus. Plutarchus igitur post breve exordium in proximo capite de Demetrii parentibus et fratre refert, quas res non secus ac cetera, quae ibidem narrantur, ex Hieronymi historia sumpsit; idem de eis statuemus, quae c. 53 ex. (ἀπέλιπε δὲ sqq.) de Demetrii liberis traduntur. Attamen et c. 2 verba ἔνιοι — νομισθῆναι et c. 53 verba λέγεται — γενέσθαι ex alio fonte hausta sunt. Porro in c. 14, cum cetera aliunde petita sint, partem eorum, quae de Eurydice et Phila, Demetrii uxoribus, legimus (ἀλλ' ἔν γε — πόλεως et ὧν ἀξίωμα — ἀπολιπόντι) Hieronymo iure adiudicare mihi videor. Idem quominus de c. 3 et 4 faciamus, nihil obstat, quamvis in hoc quidem de Mithridatis aetate insit difficultas, quam ab hac quaestione alienam omittimus; immo, ut utrumque caput illius scriptoris ex historia petitum esse sumamus, eo adducimur, quod c. 4 Demetrius humanus fuisse et amicorum saluti omni modo consuluisse dicitur, c. 3 ipsius et patris familiaritas et amor singularis dilucide depinguntur. Atque cum et Dem. c. 4 somnii et Diod. XIX, 55, ubi quin aeque ac postea Hieronymus Diodori auctor sit, non est, cur dubitemus, vaticinii mentio fiat, etiam somnia Dem. c. 19 et 29 tradita Hieronymo attribuemus.

Superest, ut de duobus Pausaniae locis I, 9, 8 et 13, 9, breviter agamus. Cum enim ex eis, quae supra disputavimus, Hieronymum statuerimus et de aliis regibus aequa iudicia fecisse neque nimio Antigonidarum studio occaecatum veritatem neglexisse intellexerimus, isti opinioni iudicia, quae de eodem rerum scriptore apud Pausaniam inveniuntur, repugnant. Qui cum nimio Antigoni Gonatae studio adductum esse insimulat, ut eius gratiam sectatus de aliorum regum rebus gestis nonnunquam falsa traderet et inique iudicaret. Sed quod Pausanias altero loco illum Antigoni Gonatae studio commotum alia atque ipsum de Pyrrhi morte tradidisse contendit (ille enim a muliere quadam lapidis ictu Pyrrhum interfectum esse narrat, Pausanias ipse Cererem assumpta mulieris forma id fecisse contendit), Hieronymi relationem sine dubio recte se habere et Pausaniae narrationi praeferendam esse Droysen[1])

[1]) II, 196. Reuss p. 55 not. 1 et p. 147 cum Droysenum falso

optime monet. Ipsa eius verba (not. 76) adscribam: „*Schon früher hat Pausanias* (I, 9) *Aehnliches gegen Hieronymus gesagt. Der fromme Pausanias glaubt an die wunderbaren Fügungen des Aeakidenhauses; und die Monumente von Argos ... sind ihm vollgültiger Beweis gegen Hieronymus. — Aber was hatte denn Hieronymus über Pyrrhus Tod gesagt? Strabo* (VIII, p. 376) *gibt an: »Die Argeier nahmen Pyrrhus nicht auf, sondern vor der Mauer fiel er, wie man sagt, von dem Steinwurf eines alten Weibes.« Allerdings »aus Rücksicht auf Antigonos« konnte in dieser Art Hieronymus zu sprechen scheinen; dem gläubigen Cicerone gehen damit alle schönen Beziehungen der frommen Monumente zu Schanden.*“ Iam vero, scriptoris tam creduli et tam leviter suarum fabularum prae rei simplicitate cupidi quanti momenti potest esse iudicium narrationi subiunctum! Atque idem priore loco, cum dicat vera esse non posse, quae Hieronymus de ossibus mortuorum a Lysimacho in Epiro dissipatis tradiderit, argumentis allatis — dicit enim fieri non potuisse, ut Lysimachus Epirotarum regum sepulcra vastaret, primum, quod ille vir Macedo, reges sepulti autem non solum Pyrrhi, sed etiam Alexandri maiores fuissent, praeterea, quod Lysimachus paulo post cum Pyrrho societatem fecisset — nequaquam nobis persuadebit [1]), si consideramus, quae tempora, quibus Lysimachus regnavit, qui mores, quot proditiones, quanta naturae immanitas tum fuerint. Itaque viri docti et alii et Brueckner (p. 261 sq.) Pausaniae iudicio, quatenus rebus gestis in medium prolatis nititur, nimium tribuisse mihi videntur.

Quod autem hoc loco (I, 9, 8) addit: *ὁ δὲ Ἱερώνυμος οὗτος ἔχει μὲν καὶ ἄλλως δόξαν πρὸς ἀπέχθειαν γράψαι τῶν βασιλέων, πλὴν Ἀντιγόνου, τούτῳ δὲ οὐ δικαίως χαρίζεσθαι*, nihil probat, nisi iam inter antiquos fuisse, qui iniquius de Hieronymo iudicaret vel iudicarent. Quae res nec mira est nec satis

Hieronymum Strabonis auctorem statuere dicat, ipse Pausaniam (I, 13, 7) de Pyrrhi morte usque ad verba *Ἀργεῖοι δε* sqq. ex Hieronymo hausisse contendit. Quae res si ita se habet, tamen Droyseni de Pausania iudicium manet, cum etiam apud hunc scriptorem Pyrrhus a muliere quadam tegula deiecta occisus esse tradatur.

[1]) Item Westermann (in Paulyi Realencyclopädie IV, 1307, not. 6) et Brueckner (p. 261) Hieronymi auctoritati plus quam Pausaniae tribuendum esse censuerunt.

valet ad mutandam sententiam de fide Hieronymi aliunde stabilitam. Quis enim ignorat, quam acerbe Polybius de Timaeo, Phylarcho, Callisthene, Theopompo, aliis rerum scriptoribus iudicia fecerit: quae tamen non raro iniusta fuisse constat.

Itaque equidem eis, quae antea (p. 22 sq.) disputavi, nisus iudiciis utroque Pausaniae loco memoriae proditis nequaquam assentiri possum; immo Bruecknerum iure arbitror iudicasse (p. 260) Cardianum illum „et scripsisse opus singulare, et ita scripsisse, ut vix alius esset, qui laudes eius operis ac virtutes aequipararet.“ Cuius rerum scriptoris historia quod periit, maximopere dolendum est, cum et veritati studiosus, diligens, accuratus, satis liber fuisse videatur et tempora gravia descripserit, quippe quibus gentium, quae in orientem versus habitabant et mari interno adiacebant, vita et cultus sensim sensimque prorsus immutati sint.

Caput II.

Comparantur Pompeii Trogi, Pausaniae, Polyaeni de rebus, de quibus agitur, relationes cum Plutarcho et Diodoro.

§ 1. De Pompeii Trogi fontibus.

Iam videamus, quibus ex fontibus Pompeius Trogus, Pausanias, Polyaenus in rebus post Alexandri mortem gestis enarrandis, quantum ad ea, de quibus in Demetrii vita et in Diodori librorum parte a nobis tractata agitur, pertinent, sua petiverint.

Priusquam autem ad Trogum vel Iustinum (XV, 1, 6 sqq., 2, 6 sqq., 4, 21 sqq., XVI, 1 et 2) accedamus, pauca praemonenda sunt. Etenim de illo suo iure Heeren[1]: „Omnino," inquit, „in his libris (sc. XIII—XV) adeo negligentem se praebuit Iustinus, ... ut et omnem rerum et temporum ordinem turbet, ac multa, quae omnino commemoranda fuissent, plane silentio praetereat, ut omnino non historiam, sed historiae lacinias potius, male inter se confertas, nobis exhibeat." Itaque Iustino epitomatori, non Trogo ipsi, multa, quae neglegentius et brevius tradita sunt, crimini danda sunt. Quemadmodum statim ad Gamalam Demetrium (a. 312) a Ptolemaeo victum esse Iustinus (XV, 1, 6), tradit, cum in Trogi prologo l. XV recte Gaza nominetur. Sequitur, similiter atque apud Plutarchum (Dem. c. 5) et Diodorum (XIX, 85), humanitatis Ptolemaei exemplum (Iust. XV, 1, 7 sqq.), de quo Iustinum cum utroque illo scriptore satis congruere, ita ut modo ad huius modo ad illius relationem propius accedat, docet comparatio verborum Plutarchi et Diodori (*ἀπέβαλε* sqq. *τήν τε ἁλοῦσαν* sqq.; cf. p. 9) cum Iustini: (Ptolemaeus) *et amicos Demetrii non solum cum suis rebus, verum etiam additis insuper muneribus dimisit; et ipsius Demetrii privatum omne instrumentum ac familiam reddidit.*

[1]) A. H. L. Heeren, commentatio de Trogi Pompeii eiusque epitomatoris Iustini fontibus et auctoritate, Gott. 1800 et 1802, pars II, c. 15.

Quin etiam verba, quae Iustinus Ptolemaeum adicientem facit, non dissimilia apud illos scriptores leguntur; cf. Iustin. XV, 1, 8 sq. *adiecto honore* sqq., Dem. c. 5 *φιλάνθρωπον* sqq., Diod. XIX, 85 *οὐ γὰρ* sqq. Adde quod etiam de regio nomine a quattuor regibus accepto inter se consentiunt tres, de quibus agitur, scriptores et generatim et de singulis quibusdam; cf. Iustin. XV, 2, 10 sqq. *hac victoria* sqq., Dem. c. 18 *ἐκ τούτου* sqq., Diod. XX, 53 *ὁ δ' Ἀντίγονος* sqq.

Neque, ut cetera, quae de rebus usque ad annum fere 300 gestis a Iustino memorantur, quae breviora sunt, omittamus, ulla discrepantia gravior obstat, quominus Trogus in partibus l. XV, de quibus egimus, ex communi Plutarchi et Diodori fonte hauserit. Unum hoc, nisi fallor, aliunde petitum est, quod post victoriam ad Cyprum reportatam a Demetrio Ptolemaei filium, fratrem, amicos captos in Aegyptum remissos esse Iustinus (XV, 2, 7 sq.) tradit; quem errore ductum rem ex a. 312 in a. 306 transtulisse opinari non licet, quod alii captivi apud eum, alii apud Plutarchum, ubi de a. 312 refert (Dem. c. 6), remissi nominantur. De Iustini autem narrationis auctore vix sententia veri similis in medium proferri potest, nisi forte eum eundem esse sumere licet, qui de rebus Macedonicis in l. XVI videatur adhibitus esse (v. infra).

Qua una re excepta cum in parte Iustini tractata Trogum non magnopere a Plutarcho differre cognoverimus, aliter res se habet de eis, quae uterque scriptor de rebus Macedonicis tradidit. Nam cum apud Plutarchum (Dem. c. 36) Pyrrhus prior Alexandro auxilio venisse, fratrum simultates composuisse, Macedoniae partem mercedem accepisse, Demetrius Alexandro non statim obsequi potuisse, hic illi prior insidias parasse dicatur, haec omnia Iustinus omittit. Apud eum autem (XVI, 1) Demetrius solus arcessitur et confestim *(nec . . . moram fecit)* in Macedoniam proficiscitur, Lysimachus fratres in gratiam reducere studet, postea Macedoniae partem, quae Antipatro obvenisset — quibus de rebus apud Plutarchum prorsus nihil invenitur —, Demetrio traditur dedisse. Quas ob discrepantias, ut leviora quaedam argumenta omittam, de istis rebus Macedonicis ex alio atque Plutarchum fonte Trogum hausisse opinari licet, quamvis in utraque relatione similia quaedam inesse videantur.

Iam de temporibus, quae regnum Macedonicum a Demetrio occupatum insecuta sunt, etsi Iustinus paucissima narrat, tamen non

desunt, quae eum ex eodem fonte hausisse indicent, ex quo Plutarchus sua sumpsit, quem in hac parte alium atque quem solet auctorem sequi supra vidimus (cf. p. 18). Qua in re imprimis hoc, quod memoretur, dignum est, quod Iust. XVI, 2, 3 similiter atque Plut. Pyrrh. c. 11 (quem locum ex eodem, ex quo Dem. c. 44, fonte petitum infra considerabimus) exercitu corrupto Pyrrhus Demetrium, ut fugeret, coegisse dicitur. Adde quod et Iustinus (XVI, 2, 1 sq.) et Plutarchus (Dem. c. 44) primum Ptolemaeum, Seleucum, Lysimachum se coniunxisse, eosdem deinde Pyrrhum spe regni Macedonici assequendi socium ascivisse tradunt. Quamobrem levioribus rebus omissis communem fontem utrique scriptori fuisse statuo, etsi Iustinus ad utramque relationem comparandam pauca tantum praestat, Plutarchus de Antipatro a Lysimacho interfecto nihil habet.

Itaque comparatione Iustini cum Plutarchi et Diodori relationibus instituta effecimus Trogum in l. XV, quantum ad hanc quaestionem pertineat, communi illorum fonte, i. e. Hieronymo auctore usum esse, in l. XVI, c. 1 eum aliunde sua petivisse, in c. 2 autem iterum ex eodem, ex quo Plutarchum, fonte hausisse videri. Quid vero de auctore in l. XVI, 1 sq. adhibito statuendum sit, de eo infra disserendi locus dabitur.

§ 2. De Pausaniae fontibus.

In eis quae Pausanias de rebus usque ad pugnam apud Ipsum commissam gestis servavit (I, 6, 5 *παραδοὺς* sqq. — 7), licet satis paucis et, in quibus magna socordia cum in singulis quibusdam, tum, quia multorum annorum res breviter comprehenduntur, in temporum computatione appareat, tamen et de ordine, quo res se exceperint, is scriptor cum Diodoro et Plutarcho congruit neque singula desunt similia. Ut his utar, et ipse Demetrium a. 312 iuvenem appellat (*ἡλικίαν μὲν νέῳ*; cf. Dem. c. 5 et Diod. XIX, 81), cladem apud Gazam acceptam postea ab eo compensatam, duplicem victoriam in bello Cyprio, alteram de Menelao, alteram de fratre eius, a Demetrio reportatam esse memorat. Quin etiam cum Plutarcho et Diodoro de eo consentit, quod et pedestribus copiis

et classe (κατὰ γῆν καὶ ναυσίν; cf. Dem. c. 19 et Diod. XX, 73) Antigonum una cum filio Aegyptum aggressum esse, sed re infecta se recepisse dicit; idem non secus atque Diodorus apud Pelusium utrasque copias sibi oppositas fuisse tradit. Quid? nonne iudicium, quod fit verbis τῶν δὲ βασιλέων sqq., quodammodo auctorem, qui ab Antigoni stetit partibus, indicat? Itaque Pausaniam de temporibus supra memoratis communem Diodori et Plutarchi fontem adhibuisse vix dubito statuere.

De rebus Macedonicis autem Pausanias (IX, 7, 3; cf. I, 10, 1) paucissima tradit eaque, quae non tam ad Plutarchi fontem nos relegent, quam ad Trogi. Nam primum cum hoc scriptore de causa, ob quam Antipater matrem occiderit, consentire Pausaniam docent eius verba Ἀλεξάνδρῳ νέμειν πλέον εὐνοίας αἰτιασάμενος comparata cum Iustin. XVI, 1, 2 *propensior fuisse Alexandro videbatur.* Accedit quod uterque scriptor Demetrium solum ab Alexandro arcessitum neque insidias illi ab hoc prius paratas narrat. Quas ob causas cum de rebus Macedonicis non eum quem Plutarchus, sed quem Trogus auctorem secutus esse Pausanias mihi videatur, huic opinioni non obstat, quod idem ut Diodorus (XXI frg. 7; cf. p. 15 not.) Demetrii opera Antipatrum quoque interfectum esse memoriae prodit, cum apud hunc scriptorem Alexandro mortuo id factum esse, apud illum Alexander ipse fratris mortis causa fuisse dicatur. Quamquam ne cum Iustino quidem de hac re Pausaniam congruere concedendum est. Quam difficultatem probabiliter me removere posse diffiteor.

Itaque ut breviter comprehendam, quid statuam de fontibus istarum Pausaniae relationum, Hieronymum[1]) auctorem secutus esse videtur de rebus usque ad Antigoni mortem gestis; sed de tempore, quo Demetrius regnum Macedonicum occupavit, eundem fontem, quem Trogus, adhibuit (v. infra); incerto denique teste usus est de re postremum memorata.

---

[1]) Iam F. S. Chr. König, de Pausaniae fide et auctoritate ..., Berol. 1832, p. 13 sq. eum auctorem Pausaniae esse statuerat de rebus post Alexandri mortem gestis. Idem iudicavit O. Pfundtner, Die historischen Quellen des Pausanias, in Fleckeiseni annalibus, 1869, p. 452 sqq.

§ 3. De Polyaeni fontibus.

Restat, ut, ex quibus fontibus in eis rebus ab Alexandri successoribus gestis, quae huc pertinent, enarrandis Polyaenus sua sumpserit, anquiramus. Quem cum iam Woelfflin [1]) partis eorum, quae de Antigono et Eumene tradita sunt, Hieronymum auctorem secutum esse suspicatus sit, idem de parte eorum, quae l. IV, c. 7 et 9 de Demetrio leguntur, affirmare non dubito. Primum enim et de serie rerum et de singulis c. 9, 2. 3. 5 cum Dem. c. 49, quod Hieronymo attribuimus, quam maxime consentiunt; cf. Dem. c. 49 *ἐπιφανέντος — ἀπῆγεν* cum Polyaen. c. 9, 2, Dem. ib. *ἔνθα μέντοι — μεθίσταντο* cum c. 9, 3, Dem. ib. *Δημήτριος — πρόθυμοι* cum c. 9, 5.

Deinde, quae c. 7, 8 de Corintho a Demetrio capta leguntur, ut et ipsa ex Hieronymi historia sumpta sint, fieri potest, si quidem Diod. XX, 103 quoque civium quorundam auxilio Demetrio urbem intrare licuisse traditur et portula commemoratur. Nec quidquam obstat, quominus eundem rei c. 7, 3 memoratae fontem ponamus, cum Diodori (XX, 102) verba *νυκτὸς ἐπιθέμενος* sqq. et de universa re et de singulis quibusdam cum illo loco satis congruant. Ne ea quidem, quae c. 7, 6 de ratione, qua Demetrius primam expeditionem Athenas fecerit, inveniuntur, inepte Hieronymo attribuuntur. Nam ut a Plutarcho (Dem. c. 8 sq.) et Diodoro (XX, 45), ita a Polyaeno Demetrius Athenienses liberaturus esse dicitur et proclamationis eius mentio fit. Adde quod et a Plutarcho et a Polyaeno primum Demetrii naves falso Ptolemaei existimatas esse, Phalereum a Cassandri partibus stetisse, Athenienses proclamatione cognita Antigoni filium excepisse traditur; quin etiam in illius verbis *προνοίᾳ χρησάμενος* nescio an copiosioris narrationis, quam hic servavit, vestigium insit.

Quod autem Polyaenum res illas ex Hieronymi historia petivisse mihi persuasi, idem non valet de eis, quae c. 7, 7 de bello Cyprio leguntur: in quibus Polyaeni narratio a Diodoro et Plutarcho nimium discrepat.

---

[1]) Polyaeni strategicon l. VIII, ed. E. Woelfflin, Lips. 1860 p. XII et 359.

Caput III.

Quaeritur, quos fontes Plutarchus praeter Hieronymum adhibuerit.

§ 1. De Phylarcho.

Quoniam, quae Hieronymo, Plutarchi in vita Demetrii describenda gravissimo auctori, attribuenda viderentur esse, supra exposuimus, nunc in ceteros fontes, quos in eadem vita adhibitos esse apparuit, inquiramus. Atque c. 41—44, a quo loco commodissime incipere videmur, mirum in modum, quantopere Demetrii imago in peius picta est, tantopere Pyrrhi fortitudo laudibus effertur. Cum enim Macedones hunc regem ut armis clarum et fortissimum maxime admirati esse atque in eo uno imaginem audaciae Alexandri suspexisse et humanitatem — quae qualis fuerit, sane ex Plut. Pyrrh. c. 11 apparet — ei attribuisse dicantur, Demetrius tamquam actor tragicus vestitus, usu molestus, difficilis, superbus, luxuriosus, asper, rari aditus esse traditur. Quae ut Hieronymum fecisse dicamus, fieri non posse supra cognovimus (p. 18, 23 sq.).

Iam vero et eorum, quae paulo ante memoravimus, et aliarum rerum, quas ab Hieronymo abiudicavimus, partis quidem auctorem Plutarcho fuisse suspicor **Phylarchum**, qui *Ἱστορίας* 28 libris comprehensas scripsit. Quarum ratio et natura ea erat, ut non tam res simpliciter et diligenter descriptas atque causas causarumque eventus expositos continerent, quam, ut animi commotiones sectarentur, rhetorice res depingerent, festivis narratiunculis delectarent [1]. Ut hoc utar, summo studio de luxuriosa vita regum eorumque comitum, de eorundem vinolentia, de meretricibus memorabat Phylarchus (cf. frgg. 7, 10, 19, 22, 30, 31, 40, 41, 45, 62); quae

[1] Müller I, LXXIX.

res non nimis ei exprobranda est, quippe qui Alexandrinorum temporibus vixerit.

Atque quod nusquam in hac vita Phylarchus auctor nominatur, id fere nullius momenti est. Nec magis opinioni propositae obstat, quod Plutarchus auctoritatem Phylarchi nonnunquam aspernari videtur (cf. Arat. c. 38, Them. c. 32); nam ille scriptor neque in iudicando, id quod notissimum est, sibi constitit et Phylarchum in vitis Agidis, Cleomenis, Arati, Pyrrhi [1]) scribendis non raro adhibuit. Ac certe bis, quamvis nomine non addito, Plutarchum ex Phylarchi historiis in hac vita hausisse paulo post apparebit.

Nec quod historiae Phylarchi usque ad a. 220 deductae fere putantur a Pyrrhi invasione in Peloponnesum facta (a. 272) initium cepisse, inde est cur dubitemus eum a Plutarcho adhiberi potuisse in Demetrii vita. Nam in nonnullis fragmentis istius auctoris res ante illam expeditionem factae memorantur, quam ob causam fuerunt, qui iam ab Alexandri Magni regni initiis vel morte Phylarchum scribendi initium fecisse opinarentur. Tamen vulgo ea sententia magis probatur [2]) res, quae ante Pyrrhi expeditionem factae memorantur, ab illo obiter tantum tractatas esse. Quem, si a Pyrrhi expeditione illa exorsus est, etiam de priore eius regis vita loco aliquo apto locutum esse iure exspectes. Qua occasione data Demetrii mentionem factam esse cum et per se, quippe cum Pyrrho affinis et aequalis fuerit, sit veri simile et ex frg. 6. 29 (de quibus statim agetur), 20 (in quo Demetrius φιλόγελως appellatur) intellegatur, equidem suspicor Phylarchum rhetorum modo [3]) duorum istorum ducum comparationem historiis suis inseruisse et in excursu alterius res gestas cum alterius ea ratione contulisse, qua Dem. c. 41 sqq. factum esse cognovimus; quae res nequaquam impedit, quominus idem scriptor praeterea in aliis libris facetas quasdam voces Demetrii vel similia commemoraverit.

Nam quamvis nusquam diserte dicatur de Demetrio maligne iudicare Phylarchus, tamen, cum bellum a Cleomene pro patriae libertate susceptum summo studio descripserit Macedonumque do-

---

[1]) Müller I, LXXX, et A. Schäfer, *Abriss der Quellenkunde der griechischen Geschichte bis auf Polybios*, Lips. 1873, p. 98.

[2]) cf. de variis sententiis Müller I, LXXVIII.

[3]) Simili consilio componit Ephorus Pausaniam et Aristidem (Diod. XI, 46), Themistoclem et Cimonem (id. ib. c. 54 sqq. et c. 60 sqq.).

minationem detestatus sit [1]. non iniuria opineris eum omnino ab Antigonidis aliquantum fuisse alienum eaque re adductum tradidisse, quae in Demetrii. praesertim cum ad Graeciam in suam potestatem redigendam iterum iterumque expeditiones fecisset moribus minus probanda essent. Confirmant autem hanc opinionem ea, quae a Plutarcho ex Phylarchi historiis sumpta esse ipsa fragmentorum forte servatorum comparatio evincit:

Dem. c. 25 (*Δημήτριος*) *ἡδέως ἤκουε τῶν παρὰ πότον ἐπιχύσεις λαμβανόντων Δημητρίου βασιλέως, Σελεύκου δὲ ἐλεφαντάρχου, Πτολεμαίου δὲ ναυάρχου, Λυσιμάχου δὲ γαζοφύλακος.*	Phyl. frg. 29 ed. Muell. *περιεώρα Δημήτριος τοὺς κολακεύοντας αὐτὸν ἐν τοῖς συμποσίοις καὶ ἐπιχεομένους Δημητρίου μὲν μόνου βασιλέως, Πτολεμαίου δὲ ναυάρχου, Λυσιμάχου δὲ γαζοφύλακος, Σελεύκου δ' ἐλεφαντάρχου.*

Quae verba apud Plutarchum de Agathocle leguntur, aut ipse aliunde sumpsit aut Athenaeus (VI, p. 261 b, ubi Phylarchi locus servatus est) omisit. Deinde:

ib. (*Λυσίμαχος*) *λοιδορῶν εἰς τὸν ἔρωτα τῆς Λαμίας ἔλεγε νῦν πρῶτον ἑωρακέναι πόρνην προερχομένην ἐκ τραγικῆς σκηνῆς· ὁ δὲ Δημήτριος ἔφη τὴν ἑαυτοῦ πόρνην σωφρονεστέραν εἶναι τῆς ἐκείνου Πηνελόπης.*	Phyl. frg. 6 *Λυσίμαχος, Ἐγὼ τοίνυν, ἔφη, πόρνην ἐκ τραγικῆς σκηνῆς οὐχ ἑώρακα ἐξιοῦσαν τὴν αὐλητρίδα Λαμίαν λέγων. Ἀπαγγελθέντος δὲ καὶ τούτου, πάλιν ὑπολαβὼν ὁ Δημήτριος ἔφη, Ἀλλ' ἡ παρ' ἐμοὶ πόρνη σωφρονέστερον τῆς παρ' ἐκείνῳ Πηνελόπης ζῇ.*

His autem locis iam tamquam fundamentis niti licet. Itaque in ipso c. 25 eidem scriptori probabiliter attribuere mihi videor iniquum iudicium de Demetrio factum, quod locos illos praecedit (verba *ὧν ἐκεῖνος* sqq.). item, quae paulo ante de Corinthi praesidio corrupto leguntur. Qua cum re quoniam, quae c. 15 de Sicyonis et Corinthi duce corrumpendo atque de alternis Demetrii et Ptolemaei minis postulatisque inveniuntur, quodam modo cohae-

[1]) cf. vitae Agidis et Cleomenis, in quibus describendis Plutarchum plurima ex Phylarchi historiis hausisse inter omnes constat.

rent, ea et ipsa Phylarcho adiudico. Neque aliud statuo de iniquis iudiciis, quae c. 14 (ἄλλως — γυναιξὶν et τοιαύτῃ μὲν sqq.) et 52 (in quo omnia eius esse censeo paucis, quae p. 6 sq. Hieronymo attribuimus, et sententiis, quae potius Plutarchi ipsius sint, exceptis) de Demetrio facta sunt.

Praeterea ex eis, quae supra de ratione et natura Phylarchi historiarum breviter disseruimus, vix dubium mihi est, quin inde sint sumpta, quae ad animos commovendos composita c. 9 de Cratesipoli, c. 17 de victoria ab Aristodemo nuntiata, c. 53 de Antigoni Gonatae luctu deque pompa funebri tradita sunt [1]). Denique c. 41—44, in quibus de expeditione a Demetrio in Aetoliam suscepta (a. 289), de simultatibus, quae eidem cum Pyrrho erant, de ratione, qua Demetrius e regno Macedonico eiectus est (Maio mense a. 287), agitur, quibus rebus gestis plurimae narratiunculae et iniqua iudicia de Demetrio facta inserta sunt, et ipsa ex Phylarchi historiis petita esse nobis videri [2]) ex eis, quae supra (p. 32,

[1]) Etiam c. 38 συνέβη γὰρ sqq. ad Phylarchum revocaveram quodam modo verbis ὡς ἔοικε et λεγουσι commotus; sed nescio an Hieronymo attribuenda sit ea narratio: si quidem recte observat Reuss (p. 138) eisdem fere verbis eam App. Syr. c. 59—61 tradi, idem (p. 147 et 43 sqq.) Appianum in rebus gestis Syriacis enarrandis maxime Hieronymum auctorem secutum esse.

[2]) Quoniam autem cum Dem. c. 41, 43, 44 aperte congruunt Pyrrh. c. 7 Δημήτριος μὲν sqq. —8 τὸν Ἀλέξανδρον, c. 10 ὀλίγῳ — fere διαγωνίσασθαι, c. 11 ταῦτα πρὸς — ἔρημον et τάχει — c. 12 πρὸς ἀλλήλους, haec et ipsa ex Phylarchi historiis sumpta esse statuo. Cui opinioni non obstat, quod Phylarchum in extrema Pyrrhi vita — a medio fere c. 26 usque ad vitae finem (cf. praeter alios Müller I, LXXXI et Müllemeister p. 27 sqq.; nuper vero Reuss p. 142 sqq. contendit a c. 29 usque ad finem Plutarchum ex Hieronymo hausisse) —, ubi Plutarchi auctor fuisse fere putatur, iniquius de Pyrrho iudicasse quispiam dicat; neque enim his iudicia ex Pyrrh. c. 7—12 laudata refragantur. Nam illic non praedicantur nisi Pyrrhi insignis fortitudo impetusque in proelio et gloria, quam eis virtutibus sibi paraverit, praeterea celeritas, vultus, motus Alexandri similes. At mansuetudo Epirotarum regis, quae memoratur, qualis fuerit, facile cognoscas ex c. 11, unde apparet eam non sinceram, sed ad id solum compositam fuisse, ut fama humanitatis adversus captivos suae divulgata Demetrii milites ad regem deserendum impelleret: quae res etiam clarior eo fit, quod Pyrrhus falsos simulatosque Macedones in hostium castra misisse dicitur adversarii copias in suas partes traducturos. Tantum autem

18) disputavimus, consequitur. Attamen c. 43 non Phylarcho, sed alii fonti attribuenda sunt ea, quae de Ptolemaei navi in medium proferuntur (cf. p. 41); mox ea, quae a verbis *οὐδεὶς γὰρ* sqq. praecedunt, et verba *ἀλλὰ θέαν* sqq. rectius Plutarchi ipsius esse putabimus. Cui item c. 42 *οὐδὲν γὰρ* sqq. nescio an adiudicemus propter sententias resque ibi allatas.

Denique ex c. 41 *ἦν δὲ* sqq. Droysen (I, 682), Haug (p. 73), Müllemeister (p. 14, not. 2) effecerunt etiam Duridem Samium, qui Demetrii aequalis *Ἱστορίας* a. 370—280 complexas scripserat, adhibitum esse fontem. Atqui comparatio loci, de quo agitur, cum Durid. frg. 31, quo illi viri docti nituntur, instituta, etiamsi ultimam illius loci partem Plutarcho ipsi attribuamus, tantas discrepantias (apud Plutarchum enim una *χλαμὺς* semifacta, *ἐμβάδες*, *καυσίαι δίμιτροι* commemorantur, apud Duridem autem *χλαμύδες*, unus *ἐμβάτης*, una *μίτρα*, *ἣ καυσίαν ἔσφιγγεν*) in his duabus relationibus inesse monstrat, ut ex Duridis historiis Plutarchum hausisse nullo modo concedam [1]), sed in eodem fonte, in quo ceteras c. 41 partes, illam narrationem traditam fuisse arbitrer, praesertim cum eiusdem vestis tragicae c. 44, quod et ipsum Phylarcho auctore scriptum esse mihi persuasi, mentio fiat.

Quod si Plutarchum Dem. c. 41—44 Phylarchum auctorem secutum esse recte posuimus, de eisdem temporibus indidem Trogum hausisse consequitur (Iustin. XVI, 2, 1—3). Atque quoniam eundem de rebus Macedonicis, quae regnum a Demetrio occupatum antecesserunt, cum Plutarcho non congruere docuimus, nescio an de eis quoque Phylarchum auctorem secutus esse Trogus videri

---

abest, ut laudes illae in extrema vita ab eo abiudicentur, ut c. 30 bis diserte fortitudo eius laudetur (*Πύρρον ἔσχε — ἀλκῇ* et *ἀεὶ μέντις ἄμαχος* sqq.). Atque quid Phylarchum prohibere potuit, quamvis de ceteris iniquius Pyrrhum iudicarit, quominus etiam in hoste dexteritatem, astutiam, fortitudinem agnosceret? Nec magis exempla humanitatis Antigoni Gonatae in ipso Pyrrhi vitae fine allata, si quidem Phylarcho attribuenda sunt (de qua re non constat; cf. nunc etiam Reuss p. 144), impediunt, quominus eundem scriptorem tam acerbe et inique de Demetrio iudicasse dicamus. Itaque Pyrrh. c. 7—12, quantum huc pertinent, et Dem. c. 41—44 Phylarcho utique tribuo; nec probare possum, quod Müllemeister (p. 13 sqq.) ex Timaeo res, de quibus agitur, haustas esse suspicatur.

[1]) Etiam Reuss (p. 139) Plutarchi narrationem a Duride abiudicat eo commotus, quod de diversis temporibus apud eos agatur.

possit (Iustin. XVI, 1). Quod si conceditur, ex eodem fonte de rebus Macedonicis Pausanias (IX, 7, 3) hausit, quem magis cum Iustini quam cum Plutarchi relatione consentire intelleximus.

---

§ 2. De Philochoro et Demochare.

Restat non parva Demetrii vitae pars complexa res et nàrratiunculas a Diodoro non traditas, quas memorare fere minus cuiuslibet rerum scriptoris interesse oportuit, quam eorum, qui Athenienses erant aut in rebus gestis describendis maxime eorum, quae ad Athenas pertinebant, habebant rationem. Atque primum apud Plutarchum Philochori vestigia sunt, qui vir nobilis Atheniensis diligenter scripsit Atthidem, cuius ex 17 libris undecim historiam temporis scriptoris ipsius comprehendebant (Ol. 115, 3—129, 3)[1]. Notum est virum patriae amantissimum, ut Athenae liberae essent, exoptasse, cumque Demetrius Poliorcetes civibus suis speciem tantum libertatis praeberet, maximo odio eum persecutum[2]), eundem ab Antigono Gonata, quod Ptolemaeo Philadelpho nimium faveret, interfectum esse (a. 261)[3]).

Quod si quaeritur, quae Plutarchus, cum saepius in vitis scribendis Philochori Atthide uteretur[4]), in Demetrii vita ex ea sumpserit, primum illi scriptori ea vindico[5]), quae c. 26 (τότε — οὐδέν) de Demetrio mysteriis initiando leguntur. Cum enim Diod. XX, 110 ea res ita describatur, tamquam si una die legitima initiatio universa facta sit, a Plutarcho singulas sacris initiandi partes seiungi neminem fugit, eum autem Philochorum auctorem secutum esse docet Harpocratio s. v. ἀνεπόπτευτος: Φιλόχορος (= frg. 148 ed. Muell.) ἐν τῇ δεκάτῃ „Τὰ ἱερὰ οὗτος (sc. Δημήτριος) ἀδικεῖ πάντα, τά τε μυστικὰ καὶ τὰ ἐποπτικά.“ Καὶ πάλιν „Δημητρίῳ μὲν οὖν ἴδιόν τι ἐγένετο παρὰ τοὺς ἄλλους, τὸ

[1]) Müller I, LXXXVIII.

[2]) Müller I, LXXXIV sq.

[3]) Suidas s. v. Φιλόχορος.

[4]) Fricke, *Untersuchungen über die Quellen des Plutarchos im Nicias und Alcibiades*, Lips. 1869, p. 22 et 95. K. Fr. Hermann, index lect. Marburg. 1836, p. 5. C. Wachsmuth, *Die Stadt Athen im Alterthum*, Lips. 1874, I, 436, not. 1. 624, not. 4.

[5]) Idem fecerunt ante me Droysen (I, 511, not. 89) et Haug (p. 74).

μόνον ἅμα μυηθῆναι καὶ ἐποπτεῦσαι. καὶ τοὺς χρόνους τῆς τελετῆς τοὺς πατρίους μετακινηθῆναι."

Tum de ordine, quo res Megaris Munychiaeque gestae se exceperint, Plutarchus, cum a Diodori relatione discrepet, cum Philochoro consentit:

Dem. c. 9 *τῶν δὲ Μεγάρων ἁλόντων* ib. c. 10 *ἐπεὶ δὲ πάλιν ἐπανελθὼν* (sc. *Δημήτριος ἐκ τῶν Μεγάρων*) *πρὸς τὴν Μουνυχίαν ... καὶ κατέσκαψε τὸ φρούριον*	Philoch. frg. 144 *τοῦ γὰρ Ἀναξικράτους ἄρχοντος εὐθὺ μὲν ἡ τῶν Μεγαρέων πόλις ἑάλω· ὁ δὲ Δημήτριος, ὁ κατελθὼν ἐκ τῶν Μεγάρων, κατεσκευάζετο τὰ πρὸς τὴν Μουνυχίαν, καὶ τὰ τείχη κατασκάψας ἀπέδωκε τῷ δήμῳ.*

Deinde, quae c. 12 de Demetrione mense sunt tradita, et ipsa ex Atthide illa petita esse videntur collato Philoch. frg. 176 *τὸν οὖν Δημητριῶνα μῆνά φησι Φιλόχορος ὅλον ψηφίσασθαι τοὺς Ἀθηναίους ἱερομηνίαν λέγεσθαι, οἷον ὅλον ἑορτήν.* Atque eidem scriptori fortasse attribuere licet, quae ibidem de Demetriade mensis die memorantur, quamvis eius diei non in fragmentis Philochori ipsius, sed apud Polemonem Iliensem (frg. 8) mentio fiat; cf. Harpocratio s. v. *ἕνη καὶ νέα: Πολέμων δέ φησιν ὅτι ἐκάλεσάν ποτε αὐτὴν* (sc. *τὴν ἑ. κ. ν.*) *Δημητριάδα ἐπὶ τιμῇ Δημητρίου τοῦ Μακεδόνος.* Cum autem Polemo semel tantum a Plutarcho auctor nominetur (Arat. c. 13), non tam Plutarchus ex Polemone, quam ex Philochoro uterque illud videtur sumpsisse. Cui scriptori si, quae de Demetrione et Demetriade traduntur, iure quodam attribuimus, idem quivis facile concedet de Dionysiorum nomine immutato et de Demetrio eisdem cum Cerere et Libero honoribus accipiendo, quae res et ipsae in priore parte c. 12 memorantur. Denique, cum compar. Dem. et Ant. c. 4 verba *οἱ μὲν γὰρ* sqq. aperte spectent et ad Dem. c. 24 init. et ad Philoch. frg. 146 *ἐν ἀκροπόλει ... πάτριον δ' ἐστὶ τοῖς Ἀθηναίοις κύνα μὴ ἀναβαίνειν εἰς ἀκρόπολιν*, inde concludere licet etiam Dem. c. 24 init. ex Philochoro petitum esse. Nec quidquam obstat, quominus indidem oriunda esse censeamus, quae Plutarchus l. l. de Democle et Cleaeneto commemorat. Atque cum c. 23 verba *οἱ δὲ καίπερ — ἐπιτεταγμένον τι* ad c. 24 init. respiciant, ea quoque Philochoro attribuo.

Sed iam paucis agendum est de alio viro Atheniensi, qui et ipse a Plutarcho adhibitus videtur esse, de **Demochare**. Qui Demosthenis sororis filius et Demetrii Poliorcetae aequalis, belli domique bene meritus, historiam rerum gestarum suae aetatis satis amplam scripsit, non tam historico quam oratorio genere (Cic. Brut. c. 83, 286), cuius paucissima fragmenta servata sunt. Atque patriae amantissimum nec serviliter adversus Demetrium Poliorcetem se gerentem eum de nimiis adulationibus, quibus Athenienses Antigoni filium affecerunt, libere locutum esse etiam ex paucis, quae Athenaeus (l. VI, p. 252 f et 253 b. = frg. 3 et 4) ex l. 20 et 21 eius historiae servavit, fragmentis cognoscas.

Qua ex historia Plutarchum in Demetrii vita describenda quidquam hausisse parum recte videtur mihi negasse **Droysen** (I. 683). Immo non est, cur dubitemus, quin ex ea sumpta sint primum c. 27, quamvis non tamquam fons ibi nominatus sit, facetum ipsius dictum, quo Demetrium Lamiamque significavit. Indidem fieri potest ut petita sint c. 24 ex. et ipsa verba, quae Demochares in Stratoclem locutus esse fertur, et illud, quod ea Democharis exilii [1]) causa fuisse traduntur. Praeterea sententia quaedam, quae c. 10 legitur, eidem merito attribui videtur hac comparatione instituta:

Dem. c. 10 *τὸν Δημήτριον ἐπαχθῆ καὶ βαρὺν ἐποίησαν* (sc. *οἱ Ἀθηναῖοι*) *τῶν τιμῶν ταῖς ἀμετρίαις, ἃς ἐψηφίσαντο.*	Democh. frg. 3 ed. Muell. *ἐλύπει μὲν καὶ τούτων* (sc. adulationum Atheniensium) *ἔνια αὐτὸν* (sc. Demetrium) *ὡς ἔοικεν ... ὥστε καὶ αὐτὸν τὸν Δημήτριον θαυμάζειν ἐπὶ τοῖς γινομένοις, καὶ λέγειν, ὅτι οὐδεὶς ἐπ' αὐτοῦ Ἀθηναίων γέγονε μέγας καὶ ἁδρὸς τὴν ψυχήν.*

Iam, si Democharis illud in Stratoclem dictum ipsi iure quodam attribuimus, omnino, quae de Stratocle [2]) in Demetrii vita in-

[1]) cf. de hoc exilio **Droysen** I, 505, not. 76. Alterum eiusdem exilium, cuius in decreto in honorem eius facto ([Plut.] vit. X orat., p. 851) mentio fit, ab initio a. 296 (cf. W. **Dittenberger** in Herma II, 293) —287 videtur fuisse.

[2]) De Stratocle, complurium, quae in monumentis a. 307—301 leguntur,

veniuntur, ex eiusdem historia fere petita esse sumere licebit. Quare fieri potest, ut Demochari attribuenda sint c. 24 *πολλὰ γὰρ — κολακείαν* et rogatio paulo ante tradita, deinde c. 11 [1]), in quo de Stratoclis vita agitur atque de eodem narratiunculae itemque altera rogatio commemorantur.

Nec minus quam quae de Stratoclis vita, ea, quae c. 12 de Philippide traduntur, Demochari adiudicari possunt, quippe cuius fuerit aequalis steteritque a partibus ille poeta et ipse Stratocli inimicissimus.

Quid? cum et Plutarchi de honoribus Demetrio eiusque patri a. 307 concessis relatio a Diodori ita differat, ut e diverso fonte sumpta esse nobis visa sit, et Demochari c. 10 verba *τὸν Δημήτριον — ἐψηφίσαντο* adiudicanda esse censuerimus, nescio an ex eius historia honores quoque, qui locum, de quo postremum egimus, subsequuntur, et ea, quae c. 46 de Servatorum sacerdote sublato memorantur, petita sint. Quamquam, quod Plutarchus tempore adventui Demetrii (a. 307) proximo Athenienses summo magistratu sublato ex Servatorum sacerdotis nomine singulis annis nomina dedisse et eiusdem nomen edictis et pactis inscripsisse (Dem. c. 10), postea autem, cum a Demetrio defecissent (a. 287) ei mori finem imposuisse (ib. c. 46) tradit, id falsum esse iam constat; eum tamen errorem utroque loco ipsi Plutarcho tribuendum esse probabiliter demonstravit Kirchhoff [2]). Ut totius relationis non probanda sint nisi fere haec: Athenis, postquam a Demetrio captae sunt, aliquantum temporis Servatorum sacerdotes annuos fuisse eosque, quorum postremus Diphilus fuisset, a. 287 in perpetuum sublatos esse.

Restant quaedam, quae, cum omni adiumento careamus, utrum

populiscitorum rogatore, bene egit C. Curtius in Philologo Gottingensi XXX, 93 sqq.

[1]) Quod Reuss p. 134, ubi de Dem. c. 11 agit, existimat *ψηφίσματα* a Plutarcho commemorata ad Philochorum revocanda esse, quod is collegerit *ἐπιγράμματα Ἀττικά*, prorsus incerto fundamento nititur.

[2]) A. Kirchhoff „*Ist in Athen jemals nach Priestern der Soteren datirt worden?*" in Herma II, 161 sqq. Ubi docuit annis 306—287 neque defuisse Atheniensium summos magistratus et semper ex eorum, non ex Servatorum sacerdotum nominibus sua annis data esse; idem erroris Plutarchi causam acute perspexit, cum suspicaretur in fonte eius traditum fuisse Antigoni et Demetrii, ut novarum tribuum patronorum, statuas numero reliquarum decem ab Atheniensibus adiectas, easdem postea sublatas esse.

ex Democharis historia an ex Atthide Philochori petita sint, affirmare non audeo: quae c. 13 et 34 [1]) de Dromoclidis rogationibus, c. 33 de frumenti pretio, c. 40 ex. de Apolline leguntur. Quamquam concedo fieri posse, ut haec quidem c. 33 et 40 narrata ex Hieronymo sumpta sint. Denique iure mireris, quod c. 8 dies, quo Demetrius Piraeum intrasse dicitur, ex Atheniensium fastis et anni compositione adscriptus est, idque nescio an et ipsum probabiliter alterutri scriptori Atheniensi illi attribuamus.

Iam, si quis in eo offendat, quod duos scriptores aequales, qui in eadem urbe de eisdem rebus scripserunt, Plutarchus adhibuisse putatur, eumque scriptorem non ipsis utriusque Atheniensis libris, sed alio auctore, qui ex utroque hausisset, usum esse malit, equidem non repugno.

---

§ 3. **Agitur de fontibus rerum, quae minoris momenti sunt.**

Ad fontes rerum, quas neque Hieronymo neque Phylarcho neque scriptoribus Atheniensibus adiudicavimus, anquirendas cum accedamus, primum, quae c. 43 de Ptolemaei Philopatoris navi leguntur, sine dubio Callixeni Rhodii (3. saec. a. Chr.) libro *περὶ Ἀλεξανδρείας* debentur, quoniam simillima sunt illa loco cuidam ex huius libro servato (Athen. V, p. 203 e sqq.).

Iam, quod amicularum in vita Demetrii saepius mentio facta est, de eis qui scriberent, iam antiquis temporibus apud Graecos ipsos erant, velut et Aristophanes Byzantius, Apollodorus, Gorgias Atheniensis, alii celeberrimas earum in scriptis suis memorarunt [2]), et poetae comoediae Graecae novae uberrimus fons erant narratiuncularum et facete dictorum de eisdem traditorum [3]). Atque ex libro de eis scripto petita esse iure suspiceris omnia, Democharis facete dicto excepto, quae c. 27, ea etiam, quae de Lamia c. 16 et 19 (*λέγεται — καταφιλεῖν*) leguntur.

---

[1]) Nam haec quoque rogatio id tantum videtur spectasse, ut Demetrio adularetur et liberi arbitrii speciem praeberet; cf. Droysen I, 569, not. 41: *Natürlich war der Vorschlag eine blosse Form, da Demetrius beide Plätze schon längst besetzt hatte.*

[2]) cf. Fr. Jacobs, *Vermischte Schriften*, IV, 315 sq.

[3]) Talia, ut hoc utar, Macho poeta comicus Alexandrinus in *Χρείαις*, quas composuit, memoravit (cf. Athen. XIII, p. 577 et 579 e).

Praeterea quod plurimae narratiunculae aliae inveniuntur, ne antiquis quidem temporibus defuerunt excerpta et thesauri, in quibus erant collecta dicta memorabilia et facetiae hominum notorum variae condicionis [1]; cuiusmodi, si fragmenta spectas, *ἀπομνημονεύματα* Dioscoridis (Athen. XI, p. 507 d), Lyncei Samii [2]) (id. VI, p. 241 d et saepius), Aristodemi (id. ib., p. 244 f et saepe al.) fuerunt. Atque ex tali libro petita esse opinor: c. 8 *ὡς δὲ — πράξεις*, c. 12 *ἐπεσήμηνε — κωμῳδία*, c. 14 *ταύτην — εὐθυρρημονήσας*, c. 19 *πάλιν — ἀπήντηκε*, c. 26 *ἀλλά Στρατοκλέους* sqq. [3]), c. 34 *λέγεταί τι — διανεμόμενον*, c. 35 *διὸ — δοκεῖς*, denique narratiunculas, quae in c. 23, 28, 45, 46 exeuntibus inveniuntur.

Restant nonnulla, de quorum fonte ne divinando quidem assequi quidquam potui: c. 2 *ἔνιοι — νομισθῆναι*, c. 53 *λέγεται δὲ — γενέσθαι*, c. 7 *Πτολεμαίου μέντοι* sqq., c. 46 *Κράτητος δὲ — νοήσας* [4]), c. 20 *Λυσίμαχος μὲν* sqq., ib. paulo ante *Ἀέροπος — παραθήγοντες*, c. 19 *οἱ μὲν γὰρ* sqq., c. 22 *ἑπτὰ γὰρ — γραφόμενα* et, quae paulo ante de Philippi tabellariis ab Atheniensibus captis dicuntur.

[1]) cf. Westermann in Paulyi „Realencyclopädie“ I, 1327. Etiam H. Nissen, *Kritische Untersuchungen über die Quellen der 4. und 5. Dekade des Livius*, Berol. 1863, p. 281 et 290, Plutarchum in vitis describendis non semel libros, qui ex dictis factisque memorabilibus constarent, adhibuisse affirmat.

[2]) Memoratur c: 27 eius descriptio cenae a Lamia paratae, quam tradiderat in *ἐπιστολαῖς δειπνητικαῖς* (Athen. IV, p. 128 a et b). Ceterum non male Droysen (I, 683): „*dürfte man annehmen,*“ inquit, „*dass auch sonst Plutarch des Lynkeus Schriften benutzt hat, so würden dessen ἀποφθέγματα, ἀπομνημονεύματα u. s. w. ihm einen reichen Schatz von Anekdoten an die Hand gegeben haben.*“ Quamquam Lynceus praeter c. 27, ubi ipsum a Plutarcho adhibitum esse parum verisimile est, nusquam memoratur.

[3]) Cum Grote (VI, 728, not. 122 vers. germ.) aut a Philippide aut ab alio faceto homine rem c. 26 memoriae proditam in peius pictam esse coniecerit, idem de prodigiis quibusdam c. 12 memoratis suspicari licet, atque nescio an res utroque loco supra laudato narratae ex insequentibus versibus ortae sint.

[4]) Mira ista narratio est. Neque enim Cratetis, quamquam fieri potest, ut a civibus periculum deprecaturus missus sit, dicto commotum, sed, quod Pyrrhus Atheniensibus auxilio venerat, Demetrium Athenas obsidere desiisse cognoscitur ex Pyrrh. c. 12 (cf. Droysen I, 612).

Quas res Plutarcho ex copiis lectione assidua paratis promptas fuisse ponemus similiter ac partem vocum versuumque ex scriptoribus poetisque laudatorum, ea, quae c. 1 et 32 ex Platone, c. 5 ex Empedocle, c. 12 init. ex Aristophane, c. 35 ex Archilocho, c. 42 ex Homero, Pindaro, Timotheo, c. 45 ex Sophocle ad orationem ornandam ascita sunt. Ceteros autem, qui inveniuntur, versus hausit ex ipsis fontibus, quos adhibuit; nimirum constat iam ante Alexandrinorum aetatem magis magisque studium librorum versibus poetarum exornandorum apud scriptores irrepsisse.

Observationes vero et sententias Plutarchi ipsius creberrimas, quas aut suo quamque loco memoravimus aut dignas, quarum mentio diserta fieret, non arbitrati sumus, singulas enumerare omnes operae non est pretium.

Quod si hac quaestione ad finem perducta, quae effecimus, paucis comprehendere licet, Plutarchus videtur nobis in Demetrii vita decribenda principem et gravissimum auctorem Hieronymum Cardianum, idque ita, ut raro (in c. 11—13, 24, 26, 27, 41—44) eum prorsus neglegeret, secutus esse, praeter eum, quamquam multo rarius, Phylarchi historiis (in c. 9, 14, 15, 17, 25, 41—44, 52, 53) usus, idem, ut res, quae minoris momenti sunt, hoc loco omittam, non pauca ex Democharis historia et ex Philochori Atthide (ex illa in c. 10, 11, 24, 27, 46, ex hac in c. 9, 10, 12, 23, 24, 26, ex alterutro opere in c. 8, 13, 33, 34, 40) petivisse.

Ipsa autem fontium varietate, qualem cognovimus, effectum esse videtur, ut Plutarchus in hac vita singulari modo imaginem Demetrii, quod intellegam, parum firmam stabilemque expresserit. Quamobrem cum dubitari possit, quidnam de Demetrio ille scriptor ipse iudicarit, commode alius eiusdem locus servatus est, in libro de sera num. vind. p. 562 f *οὐ γὰρ Ἀντίγονός γε διὰ Δημήτριον οὐδὲ τῶν πάλαι ἡρώων Φυλεὺς δι᾽ Αὐγέαν, οὐδὲ Νέστωρ διὰ Νηλέα δίκας ἔδωκαν· ἐκ κακῶν μὲν γάρ, ἀγαθοὶ δ᾽ ἦσαν*: quibus ex verbis apparet Plutarchum de Demetrio inique iudicasse. Quale iudicium ut apud posteros invalesceret, non exigua

ex parte, si quid video, poetarum comicorum opera [1]) factum est, qui istius viri imaginem depravasse et in risum vertisse videntur, cum aut, quae facta erant, facete ludibrio haberent, quae facetiae per hominum sermones litterarumque historicarum monumenta propagatae sunt, aut nimia et incredibilia fingerent, quae posteri revera facta esse crediderunt. Hinc fit, ut, quousque Demetrii vitae ratio vere aut falso depicta memoriae sit prodita, nunc accurate statui vix possit.

---

[1]) Vix huic opinioni obstat, quod exempla, quae ex comicis afferri possunt, minus ad Demetrium ipsum, quam ad adulatores eius et amiculas pertinent, velut Philippides Stratoclem (cf. Dem. c. 12 et 26, Plut. amator. p. 750 f), eundem et Lamiam Macho (cf. Athen. XIII, p. 580 d et 577 e) illusit.

Typis C. F. Winteri Darmstadiensis.

Typis C. F. Winteri Darmstadiensis.